



himmelblau

I  
5  
N<sup>o</sup> 32

Zur Bibliothek des Königl. Preßkunstgewerbe  
Museum von Johann Gottlieb

32


DE  
RAPTV CHRISTI  
IN COELVM  
QVEM  
SOCINIANI FINGVNT  
*CONTRA*  
SAMVELEM CRELLIVM

---

PRAESIDE  
IO. LAVRENTIO MOSHEMIO,  
SERENISS. DVCIS BRVNSVIC. A CONSILIIS  
RERVM SANCTIORVM  
ABBATE COENOBIORVM VALLIS S. MARIAE ET  
LAPIDIS S. MICHAELIS,  
SCHOLARVM PER DVCAT. BRVNSV. EPHORO GENERALI,  
THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD.  
AD D. *Maii A. R. S. cIs I<sup>o</sup> cc XXIX.*  
PVBLICE DISPVTABIT  
AVCTOR  
GODOFREDVS HOLEISENIUS  
AVGVSTANVS.

---

HELMAESTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.





§. I.



Entem humanam ita esse corruptam  
atque depravatam, ut in rebus ad  
salutem consequendam necessariis  
nihil plane videar, semperque a ve-  
ri, rectique regula aberrat, tot ve-  
terum recentiorumque Philolo-  
phorum exempla, qui ingenii sui  
viribus nimis confisi, turpiter lapsi  
sunt, abunde declarant. Quare per-  
spicuum est, res, quae ad religio-  
nem & salutem pertinent, longe ex alia norma, quam sibi  
relicta ratione, dijudicari debere, nec ullum aptius, accura-  
tius, certiusque sacris litteris, quas unicam esse Deus regu-  
lam voluit, ad quam homines fidei vitaeque rationes com-  
ponerent, esse remedium, ad ignorantiam nostram depel-  
lendam sanandosque animi morbos, quos in orbem nobis-  
cum afferimus. At quum omnes sacram testentur scriptu-  
ram, nec quisquam tam abfurde & inepte doceat, quin ex  
divino codice opinionum suarum firmamenta petere velit,  
id in primis in examinandis sacris dogmatibus observandum  
erit, quanam ratione & lege ex sacris probentur tabulis.

A

Vt

Ut nunc reliqua omittamus, quae illi solent inculcare, qui sacrae interpretationis praecepsa dederunt, hoc nobis in primis videatur circumspiciendum esse, utrum qui sua ex litteris sacris probant dogmata, facilitati & simplicitati studeant, & naturae, ut ita dicam, verborum obedient & obtemperent in explicationibus suis; an vero anfractibus incendant, laqueisque & machinis ad id eruendum ex sacris oraculis utantur, quod inde volunt erui. Nam si dicta torqueantur, distrahanter, ac longe quaesitis interpretationibus a naturali simplicitate abducantur, quam pre se ferant, dogmatibus inde ductis fidem haberi nullo modo posse, arbitramur. Contra si nativam simplicitatem interpres sequatur, verba illo sensu sumat, quo sumi alias solent, nil ingenio ludenti tribuat, nullum commentis & argutiis locum esse patiatur, nec circuitus quaerat, optime sentendum erit de ipsis sententiis. Ipsi inter homines, qui prudentia valent, omnem perspicuitati in scribendo, ut ab omnibus intelligi queant, navant operam, nec quisquam sapiens par esse iudicat, in exponentibus virorum, quos constat candore, ingenio, & sapientia suisse praeditos, verbis sic sese gerere, ac si illi gryphos ac aenigmata loquuti essent. Quanto magis Deo decernenti, loquenti & scribenti hic honos est habendus, ut credamus, eum effata sua minime in tot captiones & tenebras inducere voluisse, ut aeternam interpretibus crucem figeret, & mille magistros fatigaret. Et quid ideo indignius est hominibus, qui divinitus esse datum nobis facrum codicem sententur, quam ab eo, quod simplex & aperum est, desciscere, & in verbis divinorum scriptorum id tentare, quod nemo tentat prudens in Aristotelis aut Platonis explicandis sententiis?

## §. II.

Hanc si quis normam & regulam adhibet in explicantibus dogmatibus, quae nos tuemur, qui Lutherano-Evan-

Evangelici vocamur, & controversiis dijudicandis, quae cum adverſariis nobis intercedunt, is vero facile ſentier, quanro noſtra doctriña praefet reliquarum, quae a nobis ſciunctae ſunt, ſectarum dogmatibus. Nobis nihil ſimplicitate eſt antiquius, nec id a nobis impetramus, ut vim oraculis diuinis inferamus. Quicquid recipimus ut ſacro. ſanctum, id diſertiſ ſacri codicis dictis munimus, quae, niſi quis ementit aribus obſequi, & a naturali vocabulorum potestate diſcedere velit, aliter explicari nequeunt. In hoc gloriā & decus ecclieſiae noſtracē collocamus. Secus illi fere omnes, qui a nobis diſſentiunt, quos exploratum eſt, ut vim veritatis effugiant, tam coactis & violentis interpretationibus ſtudere ſaepe numero, ut naſo careat neceſſe fit, qui illis fidem habere velit. Miſſis nunc reliquis certaminibus, illas tantum controverſias intueri iubemus, quae inter nos & illos fervent, qui nomen a FAVSTO SOCINO habent. In his nos ſimplicitatem unice conſectamur, verba, ut uſus hominum poſtulat, accipimus, nec aliter, quam ſana ratio iuber, interpretamur. Sociniani omnia contra: qui quidem universas ingenii vires intendunt, ut vim dictorum ſacrorum, multis variisque ambagibus, verborum contortionibus, novis interpuſtionibus, emendationibus denique enervent, & a naturali ſenu deſtectant. Ita qui rationem ſemper nobis obrudunt, id faciunt ipſi, quod ratio fieri poſſe negat.

### §. III.

Varias vero vias genus hoc ingressum eſt, ut ad ſuos ſenſus invitiſſimum traheret diuinum codicem, dictisque luculentiffimis virtutem, quam habent, adimerer, ut multiplex eorum eſſe ſolet verſutia, qui veritati moram gere re recuſant. Primum apertis & perſpicuis dictis, expofitionibus prorsus novis, & a ſcriptoris proposito remotis, iniuriam afferunt. Exemplio fit inter alios FAVSTVS SO-

**CINVS** a) ipse, qui praeter alia non pauca specimina luxuriantis sui ingenii, quae edidit, dictum evidentissimum, quod *Iob. X, 30.* extat, vehementer detorquet, maleque interpretatur, quum vocem, *et unum*, minime unitatem Christi cum Deo Patre *essentialē*, sed tantum *moralement* indicare censem: quasi Christus hoc tantum significaret, se & Patrem concordi esse animo & sententia. Sed quilibet orationis contextum & reliqua, quae circumstant eam, penderant, fine negotio perspiciet, **F A V S T V M** verba Servatoris nostri pessime exponere. Idem **S O C I N V S** confessionem illam Thomae, quam *Iob. XX, 28.* legimus, misere torquet, ut sibi satisficiat. Cuius expositionis vanitatem iam praeter multos elios **S A L . G L A S S I V S** b) ostendit. Hac si via nihil videant profici posse, ad aliam configunt, & novis dictorum lacrorum distinctionibus, erroribus suis constituant. Notum est, ut celeberrimum dictum *Rom. IX, 5. c)* hac ratione perverterint: in quo verba ultima, *qui est super omnia Deus benedictus in saecula*, ad Christum referri debere impudenter negant; quod ut perluadeant, ante verba, *qui est super omnia*, punctum, quod illa a superioribus sciungat, & tantum ad Deum Patrem referat, collocant, ut hic sensus sit: *Ille qui est super omnia Deus, sit benedictus in saecula.* Sed quam id fiat absurdum ac perverse, praeter alias egregie docuit **G O D O F R . O L E A R I V S** d).

#### §. IV.

Hinc etiam seclusi, tantum audent homines temerarii, ut plane deleant, & e sacris litteris eiificant, quae suis obstat

- a) In libello, qui inscribitur: *Responso ad libellum IACOBI WYLERI LESVITAE polonice editum de divinitate Filii Dei & Spiritus sancti edit.* Typis Sternacianis 1624: pag. 242, seqq.
- b) In *Phil. Sac. lib. III. Trauct. II. Can. III.* pag. m. 700.
- c) Vid. **SOCINI** *Responso ad libellum IACOM WYLERI* p. 262: seqq.
- d) In *Dissert. de adoratione Dei Patri per Filium* §. XX. p. 69,

flare vident opinionibus, quaedam hinc & inde in sacros libros temere intrusa esse clamantes. Huc, ut alia praetermittam, dictum illud i. Iob. V, 7. pertinet: *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* e) Quod quam alio modo non possent confidere & veteres & recentiores Sociniani, eorumque amici, Iohannis esse inficiati sunt. Legi poterunt, quae hac de re suse & adcurate observata sunt a S. Rev. Ioh. FRANCISCO BVDDEO, Fautore & Praeceprore meo honorando. f) Nondum finis novarum arruum. In his, quas enumeravimus, si nihil inventiant praefidii Sociniani, ad Criticorum confugiant subfelliua, cultros inde & scalpella petentes, ut emendent, radant, mutant continuo, quae sibi minus esse utilia vident. Huius artificii non ita pridem specimen edidit insigne SAMVEL. CRELLIVS, Socinianorum hodie facile princeps, de quo paullo post plura dicemus. Qui cum a suis non expugnari posse umquam videret Iohannis verba Cap. I. I. Kal. Oct. 1635 in loco yess, desperatis gregis sui rebus promissime succurrit, emendando vocem Θεος & in Θεος mutando. Longum extat & copiosum eius volumen, quo hanc emendationem, nullo codice fultus, nullo testimonio alicuius momenti nixus, sed conjecturis nnice & suspicionibus fretus, tam confidenter tamen tuetur, ac si Pythiae sunderet oracula, aut ex tripode versus recitaret. Quo non ruit hominum, cruditorum quidem, at opinionibus suis excoecatorum, temeritas? quid tandem non effrenis humani generis licentia audebit? Hac si via pergere sa: erit, Turci MAHUMEDEM facile in sacris litteris reperient, quos dudum contendere novimus, in nostris Codicibus Iob. XVI, 7. pro

A 3

traces

e) Vid. SOCINVS p. 290. in lib. cit. & Ioh. CRELLIVS in lib. de uno Deo Patre, Racoviae 1631. pag. 374.

f) In insit. Theol. Dogmat. lib. II. cap. I. §. 46. p. m. 260. b. seqq.

*παρακλητός* legi debere *περικλυτός.* g) Hi illi sunt, qui toties rationem laudent, & nihil religione rationali beatius esse clamant. Verum haec alias: nunc ad propositum.

## §. V.

Aliam nos deet adhuc commemorare Socinianorum artem, sacrūm codicem sibi conciliandi. Fabulas & commenta singunt, ut aliter interpretari queant oracula sacra, atque exponi debent. Phylicos nimisim imitantur inferioris generis, qui, ut ea, quae naturae rerum accidentant, quodammodo explicent, hypotheses, ut vocant, adsciscunt, ut, quod respondeant curiosis, habeant & rationem rerum naturalium reddant. Sunt effata non pauca Christi & lacrorum scriptorum dicta tam aperte Socinianis inimica, ut nihil in ea reliqua eorum possint infidiae. Servator noster Iob. III. 13. descendisse se de coelo, & esse in coelo significat, filium hominis ascensurum esse eo, quo erat antea dicit Iob. VI. 62. exivisse se de Patre, & in mundum venisse Iob. XVI. 28. ait. Panem se esse coelestem quis de coelo descendenter Iob. VI. 33. 38. 51. indicat. IOHANNES, vitae aeternae fontem IESVM CHRISTVM seu vitam aeternam fuisse apud Patrem diu antequam pateretur, docet I. Iob. 1. 2. Haec omnia quid docent aliud, quam id prorsus falsum esse, quod Sociniani tradunt, IESVM non fuisse ante MARIAM, contra verissimum esse, quod nos dicimus, cum Patre fuisse eum ab aeterno antequam nasceretur? Sed invenerunt tamen, quo sunt ingenio, familise huius socii, ut lese expedirent. Hypothesin quandam adsciverunt, quo haec dicta explicare possent. IESVM nempe aiunt raptum esse in coelum in principio Evangelii, postquam ex Maria natus esset & ante suam mortem: postea vero de coelo descendisse: id est, rem, de qua nusquam scriptum extat, con-

---

g) Vid. ED. POCOCKII Speciem Histor. Arab. pag. 185.

confingunt, ne obmutescant, & vietas veritati manus dare cogantur.

### §. VI.

Princeps mirabile hoc commentum in medium pro-tulit FAVST. SOCINVS, qui in Catechismo h) suo pecu-liare caput hac de re dedit. En ipsa hominis verba: *Ni-bil verisimilius, & verbis ipsius Christi & hic & alibi magis consentaneum est, quam ipsum Christum, postquam natus est homo, & antequam munus sibi a Deo Patre suo deman-datum obire inciperet, in coelo, divino consilio atque opera fuisse, & aliquandiu ibi commoratum esse, ut illa ab ipso Deo audiret, & praesens apud ipsum, ut ipsa scriptura loquitur, videret, quae mundo mox annunciarurus & patefacturus ipsius Dei nomine erat.* Verba quidem ipsius Christi hoc ipso in loco non minus, quam in superiori, de filio hominis, id est, de homine expressè sunt dicta. Et si quis vel id anim-advertat, quod factum est cum Mose, antequam divina lex tota ipsius ministerio promulgaretur, & manufacta opera omnia, quae ad ipsum divinum cultum pertinerent, curia ma-teriae cuiusve formae esse deberent, ipsi Mosis a Deo praescriberetur; statim fatebitur (praeferimus cum certum alio-qui sit, Mosen Christi typum fuisse) nihil convenientius ex-cogitari posse, quam ut Christus ante illud tempus, quod di-ximus, in coelum ad Deum, idque fortasse non semel, ascen-derit, ibique aliquandiu cum eo fuerit. Moses enim, ante primam legis promulgationem, ad Deum in montem Sinai ter, si quis diligenter animadvertis, ascendiisse legitur Exod. 19. Et cum ipsius legis decem illa verba, in duabus tabulis lapi-deis digito Dei inscripta, ad populum efferenda essent, & si-mul ea, quae diximus, ad cultum Dei spectantia, constituen-da, & alia populo praecipienda, in eundem montem idem Moses similiter ad Deum adscendit. Exod. 24. 18. 31. 18. 32.

15. 16.

b) In christ. religionis institutione, edit. Irenopoli 1656. pag. 675.  
Tom. I. Biblioth. Fratrum Polonorum.

15. 16. & 19. 34. 4. & 26; ibique cum eo per quadraginta dies, & quadraginta noctes fuit, idque bis; videlicet, & cum primum illae duae tabulae ei sunt datae, & cum iterum, projectis ab eo & fractis praefira, ob populi idolatriam, illis prioribus alteras duas similes habuit, quas ad populum afferret, & in arca Dei postmodum reponeret 25. 16. Nam ut Moses Christum, sic montis Sinai coelum antitypum esse, apertissimum est. Quin etiam ipse mons propter Dei, quae tunc ibi fuit, praesentiam, coelum eo tempore fuisse dici potest; certe Moses, Dei vocem, quae de illo monte extitit, & audita a populo fuit, e coelo auditam fuisse ait Deut. IV. 36. Iple vero SOCINVS i) hanc opinionem novam & maioribus fortassis inauditanam, vocat. Magistri vestigia omnes fere prefere, qui aliquo in hac familia fueru numerio; his tamen modestius, illis audacius & confidentius hanc rem adferuntibus. Iuvat e precipuis quosdam adducere; IOHANN. CRELLIUS k) Ita quidem omnino necesse est, inquit, statuere, si Christum mitti in mundum non potuisse, vel saltē non aliter missum esse statuas, quam ut e coelis in terras proprie loquendo descenderet. Siquidem ex dictis nostris satis constat, missionem hanc Christo, non nisi secundum humanam naturam competere, quae sane non in coelis, sed in terris fuit genita, ac porro si in coelis fuit, ut & nos agnoscimus, eo illam ascendisse oportet. Et id quidem ipse Christus indicat, dum apud hunc eundem scriptorem ait Cap. III. 13. nemo ascendit (praeeriti hoc verbum est: est enim in graeco ἀνέβηντες; & res ipsa praeteritum exigit) in coelum, nisi qui descendit de coelo filius hominis, qui est (vel potius erat) in coelo. Nec aliter IONAS SCHLICH TIN-  
GIVS: l) Nemo ascendit, sit, ανέβηντες in praeterito. Lo-  
quitur

i) loc. cit. pag. 676.

k) In libro de Vno Deo Patre Cap. XXXI. edit. Racoviae 1631.

l) In commentariis posib. in Ioh. III. 13. Tom. V. Bibl. Fratrum Polonor. p. 27. 28.

tur enim non de ascensu suo futuro, sed de ascensu praeterito, ut scilicet in coelo coelestia edocitus, ea deinde e coelo remeans loqueretur & doceret in terris. Hoc docet hic de se Christus, quod Iohannes de ipso docuit Cap. I. 18. Atqui, inquies, ascendit Enoch & Elias, qui tamen non descendunt: intellige ergo; Nemo hominum, qui in terris versentur, nam nec Moses, qui versabatur olim in terris, e coelo descenderat, proinde nec conscenderat. Ex descensu enim hominum e coelo, probat ejusdem ascensum in coelum. Homo enim in terris natus, e coelis descendere nequit, nisi prius eo ascendat, qui erat in coelo, quippe quia eo, ut dixit, ascenderat. Idem de eodem filio hominis, id est, de se, dicit Cap. VI. 62. vel qui est in coelo, utrumque enim significat participium & qui erat & qui est per temporis consuetam, praesertim bac in re, enallagen, pro, qui brevi in coelum iterum ascensurus & ibi habiturus est, quasi dicat: ut inde cognoscatis, vera fuisse, quae vobis de suo in Coelum ascensu & descensu dixerat. Eodem enim arguento, eadem in re, loco dicto Cap. VI. 62. utitur. Ita ex descensu de coelo probat hoc loco se ascendisse in coelum, & rursum se descendisse e coelo, probat ex futuro suo in coelum ascensu & in coelo habitatione. Et paulo post, verba, inquit, Christi clarissima sunt, Filium hominis (ante suam nimirum praedicacionem) ascendisse in coelum, & e coelo descendisse, & res ipsa loquitur, nullum hominem posse prius e coelo descendere, quam in coelum ascenderit. &c. Prae ceteris CHRISTOPH. OSTRODVS, nobile familiae huius membrum, dilucide hac in

B

re

m) In der unterrichtung von den vornehmsten hauptpunkten der christlichen religion Rackau 1612. 8. Nun bat ic gewistlich des menschen sohn nicht können zuvor im himmel sein, und von dannen kommen, ehe er geboren ward, es wäre dann das wir mit den Mennoniten wieder alle wahrheit sagen wolten, dass der mensch Christus vom himmel in der iung fräuen Marien leib kom-

re versatur m) Certum hoc esse dicit, filium hominis, ante in coelo non fuisse coeloque descendisse, priusquam sit natus. Palam hinc esse, Christum in Coelo fuisse, eoque venisse, quam iam natus esset, missionem enim Salvatoris a Patre non ante, sed post nativitatem suam factam esse: idque ex ipsius verbis Ioh. XVIII. 37. Ego ad hoc na-

tus

kommen wäre. Wird derothalben offenbahr, daß Christus im himmel gewesen, und von dannen kommen, nachdem er schon ein mensch geboren war, und ist wunder, warum wir Christo dem herrn selber nicht glauben, der solches gesagt hat. Oder ist Gott etwas unmöglich? und wollen wir lieber von den besten worten Christi abweichen, zu der erdichteten communication idiomatum? der persöhnlichen vereinigung? daß sey ferne von uns. Dann was kar können klarlicher gesagt werden zu beweisen, daß die sendung Christi nicht vor sondern nach seiner geburt geschehen sey, dann eben das welche auch anderwo im heil schrift gesehen wird? Dann erßlich Christus selber zu Pilato sagt: Ich bin dazu geboren und bin dazu in die welt kommen, daß ich von der wahrheit zeugte Joh. 18, 37. Sollen wir bis ohne alle ubrsach zugleich mit der ordnung selber den stander wort verkehren, daß ist obwohl der herr zum ersten seiner geburt gedacht, und hernach seiner sendung, dennoch sagen, er sey erst gesandt, und darnach geboren? darnach sage der Apostel Gal. 4, 4. Gott hat seinen sohn gesandt, der aus einem weib geboren oder gemacht war. So Gottes sohn schon ausm weib geboren oder gemacht war, da ihn Gott sandte, wie solches des Apostels wort ausdrücklich bezeugen, so ist das gewißlich geschehen, da er schon ein mensch war und aß nach und nicht vor seiner geburth. Was aber das betrifft, daß Christus zugleich im himmel und auf der erden gewesen sey, kan nicht bewiesen werden, sitemalb die worte Ioh. 3, 13. Des menschen sohn der im himmel ist, anders können verdonnert werden, nemlich also: Des menschen sohn der im himmel war: wie solches auch Erasmus Roterdamus, und Theodorus Beza annotaret haben. Derhalben bekennen wir gerne, daß Christus Gottes sohn im himmel gewesen, und von dannen kommen: aber (wie gesagt) nieht ebe er von der jungfrauen geboren ward, sondern nachdem er schon geboren war.

tus sum, & ad hoc in mundum veni, ut de veritate teste, & ex Gal. IV, 4. postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ea muliere &c. constare. Si igitur, pergit, filius Dei iam ex muliere natus five factus fuit, cum eum Deus mitteret, accidit id, cum iam homo esset, & ita post, non vero ante nativitatem eius. Subiecimus ipsa hominis verba. Ceteros fere omnes temeritate vincit V A L. S M A L C I V S, qui ipsum etiam facti raptus huius tempus non veretur designare, C H R I S T V M que eo tempore, quo ieiunus in locis desertis degebat, in coelum ascendisse, sine ullo circuitu adseuerat. n) Quod vero, ait, ad tempus attinet, plane verisimile (quod nonnulli inter alios Theologos etiam observarunt) illud tunc temporis factum esse, cum Dn. Iesus iam baptizatus & Spiritu Sancto donatus quidem esset, munus vero suum nondum obire coepisset, cum scilicet quadraginta dies, & totidem noctes, ieiunus in deserto consumpsit. Quemadmodum enim Moses tot dies & noctes absque cibo etiam a Deo conservatus fuerat, antequam legem per eum daret: sic credibile est D. Iesum, illo cibo coelesti, qui est commercium & conspectus Dei, ita fuisse recreatum, ut nullo naturali alimento, per totum illud tempus opus haberent. Tunc enim credibile est, eum Patrem suum vidisse & ab eo doctum fuisse, quod de se utrumque Dominus prae-dicat. Quae si cui minus probantur, is hoc saltem confideret, nihil a nobis affirmari in hac re, quod cum analogia fidei Christianae pugnet: nobis autem id plane se ita habere persuasissimum est, & hoc mysterium nobis a Deo per sacras literas revelatum esse plurimum gaudemus.

### §. VII.

Simul atque de novo hoc invento certiores facti sunt Theologi, qui cum Socinismis suum esse ducebant veritatis causa congregati, nulli pepercérunt diligentiae, ut levita-

B 2

tem

n) De Divinitate Iesu Christi, Racoviae 1608. 4to. c. IV. fol. 12.

tem & futilitatem eius demonstrarent. Ut de antiquioribus nihil dicamus, qui recentiori memoria cum hoc genere confixerunt, ne quid nunc illis dicamus, qui commentariis *Evangelium Ioannis* illustrarunt, omnes in hac opinione confutanda elaborarunt, idque ita fecerunt solide & accurate, ut nihil ad plenam confutationem sibi reliqui fecerint. Instar omnium ex nostris videri possunt. Theologis B. IO. AD. SCHERZERVS o) B. ABR. CALOVIVS, p) B. IO. GVIL. BAIERVS, q) B. PHIL. IAC. SPENERVS. r) Ex Reformatis ingeniose contra hanc opinionem disputatione IAC. ABBADIE s) & nuperrime FRID. AD. LAMPIVS. t) Et horum quidem disputationibus sperare iam poteramus effectum esse, ut recentiores SOCINI affeciae meliorem magistris suis sententiam induerent, & portento huic nuncium mitterent. Sed longe secus res cecidit. Vident, qui SOCINO assentuntur, carere se non posse hac opinione, si salvi esse velint. Itaque non ita pridem ex ordine eorum L. M. ARTEMONIVS extitit, qui novo conatu & novo more obsoletam fere iam fabulam exornaret. Quumque ipse SOCINVS non diffiteatur *inauditam & novam* *bunc* esse sententiam, is tantum sibi sumpsit, ut non modo sacris litteris eam esse nixam, u) sed etiam antiquissimis iam christianis & haereticis creditam x) adleveraret. Ita nihil tam obsoletum, & a ratione remotum, quod homines non in lucem revocent, & novo ornatu instruant, si suas eo non carere posse rationes animadvertant. Hinc nos operae duxi-

- 
- o) Collegio Anti-Sociniano p. 445. & seq.
  - p) Opp. Anti-Socinianor. Tom. II. p. 96. seq.
  - q) De Raptu Christi in Coelum Jen. 1688. 4to.
  - r) *In zeugnisse von der ewigen goethheit Christi* p. 371. 383. seq.
  - s) De la diuinitate de Iesu Christi Sect. III. c. V. p. 188.
  - t) Comm. in Iohannem Tom. I. p. 597.
  - u) Initio Evangelii Ioannis restituto T. I. c. XX. p. 92.
  - x) Pecul. Diff. Tom. II. addita p. 568 f.

duximus pretium, quum magnam hic ARTEMONIVS eruditissimum ostentet, insignis inque causa sua fiduciam profiteatur, in hac totam rationem inquirere, & quidnam momenti viri docti rationes habeant, ponderare.

## §. IIX.

Notum iam est sub hoc ARTEMONII nomine virum alioquin eruditissimum, SAMVELEM CRELLIVM latere, y) qui hoc nomen ideo adoptavit, ut significaret, se velarem Artemonitarum haereticorum renovare velle; *Liber*, inquit, *iste meus, in quo laudo Artemonitas, prodit me non cognomine solum, sed re ipsa esse Artemonium, non enim id vocabuli ab arte derivare debes*. Nepos est hic CRELLIVS celeberrimi inter Socinianos viri, Io. CRELLII, & a teneris litteris tam sacris, quam profanis, in primis antiquitatibus sacris, & historiae ecclesiasticae operam dedit. Quare dignus habitus est a coetu, cuius membrum est in Borussia hinc & inde latenti, qui verbi divini ministrum ageret in eo: quo etiam officio ad tempus functus est. Primam iuventutem, ut audio, Berolini transigit. Inde in Bataviam & Angliam prosectorius est, & in Academia Cantabrigiensi aliquamdiu commoratus. Patrono in Anglia usus est in primis Illusterrimo Comite SCHAFFSBVRIO, qui tantam ingenii gloriam scriptis suis, inter Anglos sibi acquisivit; qui & postea fratrem ipsius P A V L V M in Academiam Cantabrigensem misit, ut ibi litteris operam daret, & codices quosdam manu exaratos excerperet. z) Quum in Anglia esset & cum temporis GEORGII BULLI defensio Fidei Nicenae prouidisset, sub LVCAE MELLIERI V. D. M. nomine libellum contra egregium hunc librum emisit. a) Huic Jo.

B 3

ERN.

y) Vid. *Gelehrte zeitungen* 1719 p. 51.

z) Vid. Lettres de Mr. Bayle T. III avec des notes de Mr. Maizeaux p. 1087. add. Indicem in has epist. voce Crellius.

a) Plena eius inscriptio: *Fides primorum Christianorum, ex Bar-  
naba,*

ERN. GRABIVS respondit in annotationibus ad BVL-  
LVM. b) At CRELIVS libro nondum edito GRABIO  
se iterum respondisse significat. c) Post tempus aliquod  
ex Anglia in Bataviam rediit, & alium libellum, hodie  
pariter raro obvium, An. MDCCemisit, nomine *Cogita-  
tionum de veteri & novo Adamo insignitum*, d) Dicitur is  
apud Irenaeum *Aspidium* editus esse: is vero, nisi fallor,  
notissimus ille Bibliopola est Amstelodamensis, REINIE-  
RIVS LEERS, quo cum familiariter vixit CRELIVS.  
Huic libro Vener. IO. SCHMIDIUS Prof. Lipiensis pau-  
lo post dissertationem opposuit. Ex Batavia iterum An.  
MDCC Berolinum se recepit, & ANCILLONIO a bibli-  
opola Batavo, REINIERO LEERS, commendatus est: qui  
& ipsum humanissime accepit, id quod iterum ex BAYLII  
patet litteris. e) Ab eo tempore Berolini maxime & in  
vicinis regionibus vixit, curam coetus sui gerens, & mi-  
nuta quaedam opuscula edidit, & inter alia annotationes  
quasdam de MICH. SERVETO. f) Frequens etiam cum  
viris nonnullis eruditis commercium coluit. Extat BAY-  
LII quaedam ad eum epistola. g)

### §. IX.

Ante aliquot annos MDCCXXV in Angliam denuo,  
nescio

naba, Herma, & Clemente Romano, demonstrata; defensioni  
Fidei Nicenae D. Georgij Bulli opposita, Auctore LUCA MEL-  
LERO V. D. M. Londini impressa an. 1697. 8vo.

b) Vid. BULLI opera a GRABIO edita p. 21. i.

c) Initio Evangel. Ioh. T. II. p. 613.

d) Cogitationum novarum, de primo & secundo Adamo, sive de  
ratione salutis per illum amissae, per hunc recuperatae compen-  
dium, Amstelodami apud Irenaeum *Aspidium* anno Domini  
MDCC 8vo.

e) Lettres de Mr. Bayle T. II. p. 791.

f) Vid. Biblioth. Brem. T. I. p. 739.

g) Lettres de Mr. Bayle T. III. p. 1086.

20

nescio quibus de causis, transit, atque, dum ibi fuit,  
MDCCXXVII novum opus, quo illustrare voluit *Initium  
Evangelii Ioannis* edidit, h) quod & avide lectum est, &  
ut sic inter homines, eruditionis nomine multis placuit. i)  
Quum in paucissimorum manibus liber sit, dabimus hic  
brevem summam eius, capitumque quorundam argumenta  
referimus. Totum autem opus in duas partes divisi, qua-  
rum priori omnem movit lapidem, ut verba Initii Evange-  
lii Iohannis: *Et Deus erat verbum*, male hodie legi, primis-  
que Christianis seculo nimis mirum I. II. & adhuc III. Et *Dei*  
*erat verbum lectum esse*, probet; quare testimonia non  
paucia ex CELSO, IRENAEO, THEOPHILo ANTIO-  
CHENO, ATHENAGORA, TERTULLIANO, NOVA-  
TIANO, IUSTINO MARTYRE, aliquique plurimis assert,  
illisque, quae obici possent, responder. Primum vero le-  
ctionem hanc: *Et Deus erat verbum*, CLEMENTEM ALEX-  
ANDRINVM produxisse putat, Valentianosque poste-  
riores, THEODOTVM aut Auctorem Doctrinae Ori-  
entalis

- 
- b) Inscrbit illud: *Initium Evangelii S. Iohannis Apostoli, ex anti-  
quitate Ecclesiastica restitutum, indidemque nova ratione illu-  
stratum.* In isto opere ante omnia probatur, Iohannem non  
scripsisse, *Et Deus erat*, sed *& Dei erat verbum*. Tum etiam  
tota 18 prima eius Evangelii commata, & alia multa dicta Scri-  
pturae sacrae illustrantur, & non pauca antiquorum ecclesiasti-  
corum ac Haereticorum loca ventilantur ac emendantur per L.  
M. Artemonium anno Domini MDCCXXVI, in 8. 2. vol.
- i) Neue Zeitung von gelehrten Sachen 1729. p. 51. Herr Samuel  
Crell --- wird sich also mit dem gewinnen, so er dafelbst (Engel-  
land) mit seinem buch gemacht genügen lassen, indem er es  
durch subscriptiones zum druck befördert, und etliche 1000.  
exemplare ins geld gesetzt, ob es gleich nur heimlich verkauft  
worden. Es kostet 6. schilling, und hat sich schon so vor ge-  
macht, dass man schwerlich ein exemplar davon bekommen  
kan. Ob gleich 1726. auf dem titul steht, so ist es doch erst 1727.  
heraus gekommen.

talis in excerptis Clement. Alex., auctores eius corruptio-  
 nis fuisse. Id dictis, quibus hi prii ratione vim intulerint,  
 atque exemplis quam facile lectio: & Deus erat verbum, in  
 locum eius: Et Dei erat verbum, substitui & propagari potu-  
 erit, illustrat. Nec etiam sibi obstare purat, quod nullo in Cœ-  
 dice N. Testamenti lectio: Et Dei erat verbum reperiatur,  
 quia eximii critici, cautionibus quibusdam adhibitis, Scri-  
 pturam S. nonnunquam ex ingenio emendari posse statuant.  
 Id ut prober ad Rom. I. 4. Röm. IX. 5. & Hebr. I. 1. ubi non in  
 Prophetis, sed Angelis legi vult, Apoc. XXII. 13. ubi voces  
 primus & ultimus intrusus essent provocat. Posteriori parte  
 ex ipla S. Scriptura nobis vult persuadere, Christum quidem  
 divinitate quadam esse praedictum, secundum quam  
 adorandus, & Mediator sit, minime vero S. Codicem eum  
 Deum expresse vocare. Quibus omnibus id se consequunt  
 esse sperat, ut credamus, Iohannem non scripsisse, nec  
 scribere potuisse: Et Deus erat verbum, in primis quod  
 hanc lectionem alii iam suspectam habuissent, quorum  
 sententiis tamen emendationem suam, eam ob causam  
 longe praferendam esse, vult, quod ea ex Iohanne ipso  
 sit instituta. Hisce adiungit quatuor adhuc dissertationes,  
 quarum prima agit de loco Mich. V. 2. Et egredius eius a  
 principio, a diebus saeculi: secunda de veteribus Christianis  
 & haereticis, quos credidisse iam Sec. I. II. III. & VI.  
 arbitratur, quod Christus in principio Evangelii, post suam  
 ex Maria nativitatem, & ante suam mortem, in Coelum  
 fuerit assumptus, atque inde descendenterit. Tertia de dicto  
 Hebr. I. 10. 11. 12. In Principio tu Domine terram fundasti.  
 Quarta denique de Comitate Ioh. VIII. σεγλιν Αβρααμ γενε-  
 δωι ἐπώ εἰμι qui demonstrare vult, hoc dictum non nisi  
 SOCINI sensu explicari posse, ad maiorem ut ait, assertio-  
 nis suae confirmationem, Christum non fuisse realiter in  
 principio veteris creationis apud Deum. Non negamus,  
 multa copiose eruditonis vestigia in hoc opere apparere,  
 nec moderate & placide virum doctum disputasse inficia-  
 mur.

mur. At non possumus, quin magnopere admirremur, impetrare a se poruisse hominem non lane inficetum, ut tam illepidam coniecturam probaret & tueretur, quae nullis rationibus aut codicibus, sed divinationibus ipsa nive frigidioribus unice nititur. Ferremus stylis & dictionis duriusculam, quae non mediocris est, ferrenus accurati ordinis, & rectae disputandi rationis neglectionem, si modo sententias propoluisset auctor aliquo tale conditas, aut si minus solidas, speciosas tamen & forma placentes. Sed quocunque oculos coniicis, ulcus offendis, nec tub tanta auctoritatum & testimoniorum multitudine, praeter strepitum aliquid plerunque subest. Mittemus nunc illa quae de Iohannis capite primo dixit, itemque reliqua opinionum portenta, ac de iis tantum dicemus, quae ad *raptum Christi in coelum* confirmandum attulit. Haec si nulla esse ostendemus & virtute vacua, coniecturam inde facient de reliquis qui sapient. Binis vero capitibus, Deo volente, quae constituta habemus, perfecturi sumus, quam ipse binas argumentorum classes constituerit, quo hunc raptum Christi tueatur, alteram ex sacris literis, alteram ex historia Ecclesiastica ductam; primo dicta sacri codicis considerabimus, quibus uritur, altero reliqua ponderare, quae ex antiquitate sacra & profana profert, decrevimus.

CAPVT I.

QVO EXAMINANTVR, QVAE EX  
S. CODICE A SAMVELE CRELLIO  
PROFERVNTVR.

§. I.

Primum S. codicis dictum, quo hunc raptum Christi stabilire contendit, dicit ex verbis Servatoris Joh. VI.  
61. 62. Τέτοιούς σκανδαλίζει; Εάν δὲ θεωρήστε τὸν νιόν  
τοῦ αὐτοῦ πατέρος αναβάνοντα, ὅπα ἦν τὸ περίτερον; Proprie haec, clamat,

C

māt,

māt, k) verba sensu & literali sumenda esse; quinque Dominus proprie & localiter ascenderit post mortem suam in coelum, ubi erat prius, etiam verba versu illo 41. 42. & Iohann. III. 13. de descensu eius e coelo proprio & locali accipi debere opinatur. Si, inquit porro, Christus Creator coeli ac immensus Deus esset, in coelum ascendere non potuisset cum coelum in ipso extaret. Maxime Nicodemus & reliqui Iudaei qui credebat, eum a Iosepho genitum fuisse, non aliter ascensionem & descenditionem istam intelligere poterant, quam quod post nativitatem suam ex Maria, in coelum aliquando a secessione a cōfiteretur, in coelo fuerit, & tunc inde descendere. Praestigiae haec sunt, quas sine negotio dissipabimus. Non primus ex hoc loco CRELIVS pugnavit, sed alii iam dudum gregis Sociniani ante eum idem fecerunt. Quibus cum viri praestantissimi satisfecerint, Iosva PLACAEVS, Theologus Gallus celeberrimus, l) HENR. MORVS, m) FRID. ADOL. LAMPIVS, n) ea tantum monobimus, que ab illis aut prorisus omissa, aut parcus observata sunt. Primo igitur evidens est, expositioni, quam CRELIVS dedit, magnopere obstat haec Christi verba, ubi erat prius: que si id significarent, quod CRELIVS & reliqui Sociniani volunt, parum propria essent & perspicua. Christus enim si modo raptum quendam seu ascensionem in coelum illis indicare voluisse, multo evidentius id fecisset, si dixisset: quo prius ascenderat. Quod vero dicit: ubi erat prius? perpicue longam commemorationem & perpetuum domicilium in coelo sibi fuisse docet. Non facile ideocirco sententiam hanc probabit, nisi qui Servatorem nostrum credet, hoc loco aut obscuritati studuisse, aut mentem suam verbis inuisi-

- 
- k) Initium Evangelij Iohannis illustratum T. I. c. XX. f. II. p. 93.  
 l) In libro *pro divinitate Christi* Sect. I. Disp. I.  
 m) In Opp. Theol. p. 67.  
 n) In Comment. ad Ioh. cap. VI. 62.

inusitatis, & parum propriis exposuisse, quod vero turpe ac  
impium cogitatu est.

§. II.

Sed & alia sunt, quae hanc interpretationem falsitatis  
convincunt. Christus in antecedentibus v. 49. tq. descensum  
suum de coelo cum delcensu Mannae illius comparat, quam  
in locis desertis Israelitae comedenterant, seque haud aliter, at-  
que panem hunc ad reficiendos Iudeos a Deo, ad homi-  
nes vita donandos, quam amiserant peccatis suis, missum  
esse significat. Ex hoc efficitur, talem esse Christi Servato-  
ris in has terras descensum, qualis mannae illius & coele-  
stis panis, quo satiati fuerant Iudeorum Patres. Finge ve-  
ro CHRISTVM in coelum esse raptum a Deo, & deinceps  
iterum ad homines revertisse, & nihil simile inter descen-  
sum Christi, & delcensem Mannae reperies. Nec enim pa-  
nis ille ex terra a Deo in loca coelestia tractus, & deinceps  
inde ad Israelitas denuo demissus erat. Nulla igitur, immo  
absurda foret, Mannae ad pascendos Israelitas, & Christi ad  
sanandos homines, peccatis prope extinctos, descendenter  
comparatio, si Socinianorum & CRELLII nostri valerer  
aliquid interpretatio. His adde, ex summa admiratione,  
quae Iudeos invadebat, quum CHRISTVM audirent af-  
firmantem, sese de coelo ad homines missum esse, constare,  
eum de re longe alia, quam de raptu quodam in coelum,  
de origine nempe sua divina & coelesti missione loquuntur  
esse. Toci in stuporem convertuntur Iudei, cum in schola  
eorum Servator dicit, sese de coelo ad homines venisse.  
Ipsi CHRISTI discipuli sententur, tam durum esse hunc  
sermonem, ut nullo modo ferre vel capere queant  
v. 16. Quin etiam multi eorum hanc propter CHRISTI  
doctrinam, disciplinam eius deferunt, quam ante receperant.  
v. 66. Tanti stuporis causas & rationes facile perspicis, si  
Christi verba sic interpreteris, ut a nobis exponuntur; nul-  
las vero, si CRELLII probes & Socinianorum sententiam.

Illud enim, quod Christus aeternum sese Dei filium missum ad servandos homines praedicabat, mirabile non est Iudeis corruptae rationi servientibus, summam commovisse admirationem. At si nihil quam hoc dixisset CHRISTVS, accitum felse aliquando in coelum a Deo, & rursus inde demissum esse, nescio cur Iudeis tam durum, tam incredibile, tam impium hoc fuisse visum, in quo nihil est, quod illis portentosum videri queat, qui Deum innumerabilibus miraculis praesentiam & virtutem suam declarasse, & legatis suis variis modis voluntatem suam significasse, credunt.

### §. III.

Novum hifce omnibus fulcrum ex Petri responione accedit CHRISTO data, quam Ioannes v. 69. commemorat. Postquam multi discipulorum CHRISTI, quos oratio ipsius, quam diximus, offenderat, ab eo felse segregauerant, quaerit Servator ex reliquis duodecim v. 67. Num hos sequi & a te quoque discedere vellent? Responder nomine omnium Petrus, & nullo modo felse dubitare profiteretur, CHRISTVM filium esse Dei viventis: ἡμεῖς πεπιστύκαμεν νοῦ ἐγνώκαμεν οὖτι σὺ εἶ ὁ χριστός, ὁ ὑδε τῇ Θεῷ τῇ φῶντος. Per spicuum est, Petrum hifce verbis profiteri, le & socios suos firmiter & constanter id ipsum credere, quod illis qui a CHRISTO secesserant, durum & incredibile vilum fuisse. Quod illi autem trans fugae recipere noluerant, id illud erat, quod CHRISTVS dixerat, felse panem esse de coelo missum ad homines miseros reficiendos & ad vitam revocandos. Quod cum ita sit, consonaneum est, ut illa CHRISTI verba: *Ego sum panis coelestis qui ex coelo descendit*, et hanc Petri vocem: *Tu es Filius Dei viventis, parent vim & potestatem habere existimemus.* Hoc vero concessio quilibet intelligit, stolidi & ridicule nos exposituros esse verba CHRISTI, si hanc esse diceremus eorum sententiam: *Ego in coelum a Deo raptus sum & inde ad vos descendam.*

di.

*di.* Hic enim sensus prorsus abhorret a confessione Petri. At si CHRISTI verba sic accipimus, ut eum divinam suam originem iis declarare constituamus, egregie respondent Petri vocibus, quibus CHRISTVM viventis Dei filium esse profiteatur.

#### §. IV.

Alterum argumentum ex S. Iohannis verbis petit, quibus sepe CHRISTO minorem esse faterur, & simul causam indicat, cur longe CHRISTO inferior sit; Cap. III. 31. ὁ ἀνωθεν ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστιν. ὁ δὲ ἐν τῷ γης ἐκ τῆς γῆς ἐστιν, οὐδὲ ἐν τῇ γῇ λαλεῖ. ὁ ἐν τῷ ἑρώντῃ ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστιν. Et hocce dictum coniungit cum v. 27. Iohannes Baptista, ait, Ioh. III. Christum, & quidem Christum hominem (si versum 31. cum 27. confers) de coelo ἐρχόμενον venientem appellat, & bac ratione sepe ipsum Christo opponit, quod ipse quidem de terra fuerit, (missus) Christus vero de ipso coelo. Missio quidem utriusque, generaliter considerata, de coelo erat, uterque enim a Deo missus erat, sed quod locum immediatum unde missi fuerant attinet, Christum ex coelo venire, se vero ex terra venisse testatur. O διὸ ἐν τῇ γῇ qui erat ex terra, nempe missus ex terra est, terrestris legatus est, ὁ δὲ in imperfecto, opponitur τῷ ἐρχόμενῳ in praesenti, quia Christus tunc demum coelitus missus veniebat. Iohannes vero iam antea fuerat missus. CRELLO igitur si credimus, IOHANNES ex eo CHRISTI praese dignitatem & praestantiam demonstravit, quod is ex coelo ad munus suum obeundum missus esset, ipse vero in terris tantum mandatum Dei accepit, de sua ad pervicaces Iudeos legatione. Convenit inter nos, IOHANNEM verbis istis edocere, cur Servator noster le multo sit illustrior, maior, & excellentior. Restat ut videamus, an huic proposito CRELLO interpretatio magis consentanea sit, an vera nostra. Nos locum hunc, quod & vis verborum, & ipsa res postularat, ita interpretamur: ὁ δὲ ἐν τῇ γῇ qui terrestris

editus est origine, qui homo natus est, ex tuis yis est, is terrena quoque sapit, aut semper aliquid humanum & terrestre, a Deo licet institutus sit, retinet. Respondet huic dicto quodammodo Servatoris, quod paullo ante v. 6. huius capitulis extat, eff. tum: τὸ γεγενημένον εἰς τὸν σάρξ εστι: quod ex carne natum id caro est. Cuius quidem hunc sentiuim esse apparer: Quocunque ex homine, ex carne conflat, editum est, id illis nascitur cum animi morbis & vitiis, quae homines, lege naturae coniuncta natos, deformare solent. Addit IOHANNES: οὐκ εἰς τὸν γῆς λαλεῖ. Quorum verborum hanc esse ducimus sententiam: Et hominum more de rebus divinis loquitur. Res divinas etiam cum nolit, quoniam nil nisi terrenum intelligit, cum rebus fragilibus & humanis comparat, neque docet, ως ἔξεταν ἐχων Matth. VII. 29. sed ut homo, cuius fermo imbecillitatem semper humanam redolet, nec ex omni parte divinam maiestatem, quam eiusmodi homo non caput angusto ingenio suo, aequat. At qui ex coelo venit & descendit δὲ εἰς τὴν γῆν ἐχόμενος, qui ex sinu Dei in uterum virginis Mariae descendit, & deinde ad homines lese erudiendos applicuit, is εἰπεν πάντων εστιν, i. e. αὐθεόπων, is omnes homines rerum divinarum cognitione, quoniam Deus est, superat & coelestia convenienti demum ratione explicare potest. CRELLIVS vero sic explicat: Qui ex terra tantum missus est, aut quem Deus in terra tantum excitavit legatum, nec in coelum antea rapuit, is homo est ex terra, & terrena loquitur. Qui vero ex coelo ad homines erudiendos missus est, is longe praestantior omnibus hominibus. Quis nostrum melius?

## §. V.

Nos interpretationem CRELLII & proposito IOHANNIS, seu rei ipsi, de qua loquitur, & verbis, quibus uititur, prorsus esse contrariam, tuemur. Primum res ipsa repudiat hanc explicationem. IOHANNES si vera fo-

ret

ret ea, rationem reddidisset dignitatis & gloriae IESV  
 CHRISTI, quam nullam & inanem esse bona docet ra-  
 tio. Ex loco enim, in quo CHRISTVS institutus & cru-  
 ditus fuisset, aut in quo munus suum accepisset, demon-  
 strasset, eum omnibus vatibus & se ipso gloriostorem esse.  
 Iam quis nescit ex loco, unde missus est aliquis, nulli pre-  
 stantiam aliquam accedere. Legatus Principis five in Me-  
 tropoli mandata Domini accipiat, five in oppido quodam  
 alio, is tamen est, quem eum esse vult Dominus, nec sper-  
 ni potest a civibus. Similiter perinde est, utrum quis in  
 remotiori loco, an in excelsiori, utrum in monte an in  
 valle, Dei vocem audiat. Modo eam audiat & a Domino  
 mittatur, ipse locus nihil confert ad variis dignitatem. Mo-  
 ses ex desertis locis, & ex Libycis arenis ad Aegyptios &  
 Iudeos amandatur. Nathan in ipsa aula regia excitatur a  
 Deo, ut Davidem commoneat. Hosne igitur locus diffin-  
 git, & iure quodam donat? Non arbitror. Ac in rebus  
 quidem divinis id multo magis etiam valer, quam in rebus  
 humanis. Homines nonnunquam certam locis tribuunt  
 praerogativam, & fieri potest, ut de certis rebus in his lo-  
 cis aliquis melius erudiri queat, quam in aliis. At Dei, qui  
 omnibus aequae locis praefens est & immensa preeditus po-  
 tentia, longe alia est ratio. Aequae facile is in coelo, atque  
 in terra, legatos suos instituere, aequae facile MOSEN in  
 monte Sinai atque PAVLVM in ipsi coelo erudire potest.  
 Nullam igitur rationem reddidisset dignitatis & gloriae IESV  
 CHRISTI sanctus IOHANNES, si hanc reddidisset, quam  
 ipsi CRELLOIS suppeditat. Illud etiam maius est, verba  
 IOHANNIS falla fore, si CRELLOIS adiscamus interpre-  
 ta ionem. IESV M IOHANNES ait ideo esse ἐπάνω πάντων,  
 omnibus hominibus maiorem, quod de Coelo venerit. Finga-  
 mus hanc esse huius pronunciati potestatem, quod nos vir-  
 doctus credere vult: IESV ideo maior est omnibus ho-  
 minibus, quoniam in coelum rapsus est, & inde descen-  
 dit iterum. At quis PAVLVM etiam, ut de Moše nihil

di-

dicam, qui apud Deum satis diu in monte Sinai commoratus est, in coelum fuisse raptum ignorat, & inde rediisse? Non ergo hoc nomine I E S V S omnibus maior & superior erit, quoniam & haec gloria ministro eius & legato contigit.

### §. VI.

Deinde hanc expositionem eius verbis ipsis repugnare contendimus; ἐντὸν γὰρ, significat ipfi ex terra mitti, in terra mandata accipere Dei. At quis ita umquam vel Sacrorum vel profanorum scriptorum loquutus est? Si nobis licet ex ingenio nostro quam volumus potestatem verbis tribuere, nec exemplis firmare, quae dicimus, immanis exoriatur interpretandi libido, nec certi aliquid amplius e divinis libris erui poterit. Si I O H A N N E S id, quod C R E L L I V S vult, illis verbis ὅπερ ἐν τῷ γέγονῳ indicare voluit, nefcio,anne ut olim HERACLITIS nomen ab obscuritate mereretur. At nostra horum verborum expositio facilis, plana & expedita est, qui ex terra est, id est, qui hominum more terrestri satu natus est. Nil usitatius apud Graecos auctores hac formula. Ut, ἐντὸν γάρ Πόμπης, illi dicuntur, qui Roma oriundi sunt: ita commode ἐντὸν γάρ homines vocari possunt in terra editi & nati. Iam quid de tota fiet I O H A N N I S propositione: ὅπερ ἐν τῷ γέγονῳ, ἐν τῷ γέγονῳ εστι; Nobis quidem eam perspicue & bene exponere integrum est; non item C R E L L I O, quomodounque etiam rem adgreditur. Explicat is I O H A N N I S orationem ita: Qui ex terra missus est, is terrestris legatus est. Id scilicet ignorabant Iudei, eum, qui ex terra mittitur, ex terra mitti, non vero de coelo. Tantum sapientiae haberet I O H A N N I S effatum, si haec recte se haberet interpretatio, ac si diceret aliquis: qui ex Europa mittitur, is mittitur ex Europa, & qui ex Asia legatur, is ex Asia legatur. Ingeniosum Rhetorem qui sic loqueretur! Itane igitur decet eos interpretari,  
quos

quos divinitus eruditos fuisse constat? Neque meliorem sensum haec verba accipient, si aliam forte excogitare vellet expositionem. Ingenio, ut velit, abutatur vir eruditus, & nobis tamen semper facile erit ostendere, nisi nostras sequi velit rationes, IOHANNIS orationem aut absurdam aut in Deum iniuriosam fore.

## §. VII.

Novum argumentum dicit ex multis & variis locis S. Scripturar̄, in quibus exiit phras̄s venire de coelo; Vōcem, inquit, venire ex coelo vel desuper, proprie esse sumendum, (uti de voce ascendit & descendit v. 13. iam vidimus) non vero de generatione & nativitate ex coelo intelligendam, docent loca parallela hoc Cap. III. 2. 19 & Cap. I. 9. 11. 27. 29. 30. 31. VI. 33. 38. 51. prout, & illa phras̄s in medio versi sletit Cap. I. 26. Tamen si vero concederemus, omnia ista dicta proprie intelligenda esse, nullam tamen videamus, quæ nos cogat, rationem, talem descentum CHRISTI, qualē CRELIVS cum Socinianis fingit, in illis commemorari, credere. Nicodemus Ioh. III. 2. CHRISTVM ita compellat: Novimus te esse doctorem, qui a Deo venit, ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐλήνυθαις. Hæc verba quidem docet, generatim credidisse hunc doctorem, IESVM a Deo missum esse: non vero eum in coelum fuisse raptrum, & inde denuo rediisse, declarant. Atque ratio, quam Nicodemus addit, a miraculis CHRISTI ducta, satis, nihil eius rei in mentem ipsi venisse, ostendit. Nam quæ hæc foret argumentatio: Tu miracula edis, viribus hominum maiora; Ergo credo te ad Deum in coelum hinc sublatum fuisse. Quasi vero nec is miracula facere possit divina virtute, qui ne in coelis quidem fuit? Commate 19. eiusd. capit. Lux, dicitur, in mundum venisse. Cap. I. v. 11. CHRISTVS legitur eis τὸν θεόν venisse. Eod. cap. v. 27. idem ante Iohannem fuisse commemoratur. Aliis oculis, alia ratiōne, atque nos, instru-

D

ctus

Etus sit, necesse est, qui hic raptum CHRISTI in coelum cernere potest. Reliqua dicta omitto, quum eiusdem naturæ sint: quorum nonnulla præterea ad rem de qua agitur, ne pertinent quidem, ut Ioh. I. 9. 29. Quemadmodum qui suffulsi oculis aut febre laborant, illis res omnes, ut affecti sunt natura, nigrae vel virides videntur, alio licet sint colore tinctæ: Ita etiam vir doctus, quem animo temere concepit, Servatoris raptum & descensum, ubi visu videt, nec vocabulum descendere aut venire legit, quin statim suavis huius commenti recordetur.

### §. IIIX.

His ergo missis, ad aliud argumentum venio, quod, ut putat, PAVLI locus suppeditat, Gal. IV. 4. & 6. Hic in primis magnum aliquid se reperisse opinatur. *Quid planius illis, clamat, Pauli Apostoli ad Gal. IV. verbis, si comma ibi 4. cum 6. conferatur. Dicit Deum emisisse (εξαπέσειτε) Spiritum Filii sui in corda nostra; emisit autem ex ipso coelo. Ergo cum paulo ante eadem phrasi dixit, emisisse (εξαπέσειτε) Deum suum Filium, ex ipso etiam coelo, & quidem post nativitatem eius ex Maria emissum esse testatur; Filium enim ex muliere factum non demum faciendum a Deo emissum esse dicit. Et ipsa per se vox εξαπέσειτε, quia non dicit απέσειτε, Deum a se ipso, a loco habitationis sue Filium emisisse, videtur innuere. Nisi vero illa verba sancti viri detorqueret, & id adderet, quod non scripsit PAVLVS, haud facile hoc effatum in rem suam vocare posset. S. PAVLVS generatim docet, IZVM, ex muliere genitum, ad ob eunda munera missum a Deo esse, quorum causa in orbem terrarum venerat; at nusquam eum de coelo, quo raptus fuerat, missum indicat. Duo quidem habet CREL LIVS, quibus ostendi posse putat, de missione ex coelo hic agi: at utrumque leve est, & nullius ponderis. Primum v. 6. testatur, in quo eadem vox εξαπέσειτε de Spiritu S. adhi-*

adhibeat: Spiritum S. vero de coelo mitti, igitur & IESVM CHRISTVM ex muliere natum, de coelo missum esse. Hoc vero est, ne quid gravius dicam, ex arena funes nectere. Hominis est, qui rationi unice obtemperandum esse dicit, sic argumentari: De Spiritus S. missione, & de IESV missione eadem vox usurpatur; Ergo utraque missio eiusdem plane est indolis. Nihil nunc dicam de septuaginta interpretum versione, in qua vox ἐξαποσέλλω promise adhibetur, de quavis missione & legatione, vid. Gen. III. 23. VIII. 10. 12. Mich. I. 14. &c. Vnum tantum, quo huius ratiocinationis futilitas pateat, ex Novo Testamento exemplum dabo. De PAULI missione Tarsoensi idem vocabulum legas: Actor. IX. 30. οἱ ἀδελφοὶ ἐξαπέστειλαν αὐτὸν εἰς Ταρσόν. Num igitur PAULO codem modo tum temporis, quo CHRISTVM & SPIRITVM S. missum esse, opinabimur. Adde Actor. XI. 22. Luc. I. 19. XX. 10. II. Actor. XXII. 24. Ipsam deinde CRELLIVS vim vocabuli ἐξαποσέλλω urget. Sed quis, quælo, sapiens Grammaticis eiusmodi subtilitatibus movertur, quæ fundamento carent? Præterea sciunt, qui vel leviter gracis litteris sunt imbuti, verborum compositorum apud Græcos non eam esse rationem, ut semper ampliorem simplicibus potestatem habeant. Voces vero ἀποσέλλω & ἐξαποσέλλω in sacris & profanis auctoribus promiscue sumi, nec hanc illa maiorem habere efficacitatem, si res id posceret infinitis demonstrari exemplis posset.

### §. IX.

Postremum, ad hanc CHRISTI assumptionem in coelum in principio Evangelii referri posse unum & alterum in Epistolis Apostolicis locum, observat. o) Et bina quidem sibi eo Pauli dicta huic referuntur. Alter notissimus ille locus est ad Philippienses II. v. 6. ubi de CHRISTO dicitur: ὃς ἐν

o) Tom. I. p. 96.

μορφὴ Θεὸς ὑπάρχων, quae verba inaudita plane ratione, pro  
 acuminis suos interpretatur. Μορφὴ nimurum Dei sive forma,  
 ipsi est splendor ille, quem Deus, natura sua invisibilis &  
 incorporeus in certo loco assumit, ut ab angelis conspici ali-  
 qua ratione possit. In hac Dei forma, seu in hoc Dei splen-  
 dore CHRISTVM opinatur fuisse, cum in coelis esset, at-  
 que ideo procul omni dubio eandem eximiam aut glorioam  
 formam ipsi impressam fuisse. Si enim, inquit, Moses  
 conversatione quadam cum Angelo, personam Dei in ter-  
 ris repræsentante, faciem retulit splendentem, quid dicemus  
 de CHRISTO in ipsa Dei gloria forma, in ipso coelo, in  
 sinu Patris versante? Hanc formam & splendorem Dei  
 CHRISTVM iterum deposuisse autumat, cum in terras  
 revertetur. Nescio quid sit somnia sibi fingere, more  
 eorum, qui amant, si hoc non est. Vide, quemadmodum  
 vir doctus ratiocinetur; μορφὴ splendor est, ergo μορφὴ  
 Θεὸς splendor est, quo Deus lemetiplum cingit, ut ab an-  
 gelis conspici queat: Ergo CHRISTVS cum dicitur in  
 forma Dei fuisse, in illo fuit Dei splendor; Ergo is splen-  
 dor ipsi quoque impressus fuit. Ergo in coelo fuit. Ergo  
 a Deo in coelum raptus fuit. Quis hanc argumentationem  
 non videt ex rebus constare temere assuntis, quae idecir-  
 co non tam refellenda, quam contennenda & repudian-  
 da sunt. Quidlibet enim ex quolibet elicetur, si hanc  
 viam sequi, & eiusmodi argumentis pugnare fas sit. Bre-  
 viter tamen nullam & inanem esse hanc novam interpretationem,  
 omni nunc de vero sensu dicti huius disputationis  
 omissa, ostendemus. Duo sunt quæ statim infirmitatem  
 eius produnt. Primo Paulus tameci dicat CHRISTVM in-  
 forma fuisse Dei, haud tamen addit, quod ex suo ingenio  
 CÆLLIVS adiicit, CHRISTVM, ut hanc Dei formam  
 nanciceretur, ex terra in coelum raptum fuisse. Quod  
 vero nusquam scriptum extat, id sanctis scriptoribus attri-  
 buere, ut nostris opinionibus consulamus, vident omnes  
 quam temerarium & viro sapiente indignum sit. Nemo  
 ita

ita in explicandis CICERONIS, LVCRETII, aut aliorum veterum auctorum monumentis lese gerit. Deinde si vera essent illa omnia, quæ assumpt vir doctus, nec dubitari posset, formulam illam Pauli: *in forma Dei esse*, significare divino splendore cinctum esse, haud tamen certe esset propterea hæc exppositio. Nam & Servatorem nostrum, cum Motes & Elias in monte ipsi apparerent, divina prorsus luce fulsisse novimus. Quare si quis vellet, adhuc fundamentis illis, quibus CRELIVS utitur, contendere posset, μογόνη Θεός ad illam CHRISTI in monte gloriam referendam esse. Mitto ea quæ sequuntur apud Paulum de humana CHRISTI natura v. 7. omnes Socinianorum insidias, quas divinitati CHRISTI ponunt, prorsus dissipare.

### §. X.

Alter Pauli locus, quem ad hunc raptum trahit, ille est, quo CHRISTVS vocatur ἀπόκρυψα τὸν δόξαν τῷ Θεῷ Hebr. I. 3. Huius enim denominationis hanc unam sibi persuader rationem esse, quod CHRISTVS, cum in coelis versareretur, splendorem divinum induerit. Cum itaque in forma Dei Patris esset in coelis, ibique maxime fulgeret ac splenderet, & possea ad nos descendere, factus est nobis ἀπόκρυψα τὸν δόξαν τῷ Θεῷ, effulgentia ac splendor a Dei gloria ad nos procedens ac descendens. Neftio fere quid hic dicam, cum tanta sit in hac explicatione verborum Pauli temeritas, ut incredibile dictu sit. Verbo tamen rem omnem expediam. Principio intelligent omnes, si hoc vir divinus istis verbis nos docere voluisse, CHRISTVM in coelum raptum, Lumine divino ibi collustratum fuisse, neminem unquam mortalium perplexius & obscurius verba fecisse. Deinde si haec vera esset explicatio, quidnam inter Mosem & inter IESVM CHRISTVM interesset, quem tamen PAULVS capite illo omnibus angelis longe excellentiorem, & paulo post cap. III. 3. Moše infinitis mo-

dis superiorem esse ostendit? Nihil enim prohibet, quo minus Moses quoque, quem accepimus divina luce diu sat-  
is fulsisse, ἀπαύγασμα τῆς δόξης τῷ Θεῷ vocari queat, si hoc  
senz nomen istud accipiendum sit. Postremo verba Pauli  
ipſa manifesto lētentiae huic refragantur; quaero enim ex  
omnibus, qui vel mediocriter sermonis humani & graca-  
rum litterarum periti sunt, an verba, quæ diximus, apte &  
commodè significare possint hominem, cui Deus lucis, qua  
circundatus est, portionem quandam impertivit, aut exter-  
num quoddam corpus, quod a Deo illustratur: quero, ut  
generalius loquar, an speculum, in quod solis radij illabun-  
tur, recte vocetur ἀπαύγασμα τῆς ἡλίου? Contra notum est,  
proprie ἀπαύγασμα lucem designare ex lumine alio prode-  
untem, aut insignem radium ab ipso lumine manantem.  
**HESYCHIVS** vocem hanc interpretatur ἡλίος φέγγος, &  
confirmat hanc notionem auctor libri Sapientiæ, a quo sa-  
pientia ἀπαύγασμα φωτὸς εἰδίσει, eterni luminis emanatio,  
aut radius vocatur. **Sap.** VII, 26. Quis hanc sapientiam  
sanus dixerit a Deo luce illustratam fuisse?

## CAPVT II.

QVO EXAMINANTVR ARGVMEN-  
TA, QVAE EX HISTORIA ECCLESI-  
ASTICA PETIT.

## §. I.

**H**aec tenus vestigia pressit eorum **CRELLIVS**, quos in  
sectæ lūx majoribus & conditoribus veneratur.  
Quamvis enim aliter, atque illi, certamen instruat,  
pleraque tamen sacri codicis dicta, quibus utitur, testati  
iam erant **SOCINVS**, **CRELLIVS**, **OSTORODVS** & a-  
lli. Nunc vero plane novus & suus esse incipit. Id enim  
de

de quo nemo antea cogitaverat, probandum recipit, idem quod Socinianis, antiquissimis Christianis & hæreticis vi-  
tum fuisse, CHRISTVM in coelum esse raptum, & inde descendisse. Quam concinne id faciat, mox apparebit.

## §. II.

Primum pulcherrimum, ut ipse ait, præsidium opinio-  
nis sua invenit, in THADDAEI verbis, quæ EUSEBIUS  
p) servavit. THADDAEVS ille, quem THOMAS ad Ab-  
garum, Edessa regem, misisse ibi perhibetur, populo pro-  
mittit, sese inter alia explicaturum esse: οὐδὲ πῶς χριστὸς κα-  
τέβη μόνος, ἀνέβη δὲ μετὰ τολλᾶς ὄχλους τὸν πατέρα αὐτῷ.  
Καὶ πῶς καθῆκται εἰς δεξιὰ τῷ Θεῷ οὐδὲ πατέρος μετοὶ δόξης εἰς τοὺς  
ἀγεννοῦτες. Vique solus quidem ex coelo descenderit, ascenderit  
vero ad Patrem cum maximo comitatu, & ad eius dexteram  
honorifice sedeat in coelo. Mire prorsus hunc locum CREL-  
LIVS interpretatur: q) Descensio ista, ait, de qua Thaddeus hoc  
loco agit, neque de animæ Christi in infernum, neque de eius  
in uterum Marie descentione sumi potest. Omni enim plane  
carerent verba Thaddæi emphasi, si docere & inculcare vo-  
lueret eo tempore, ea die & hora, qua Christi anima Stygias  
ibat ad umbras, nullas alias in infernum iussæ, quod vero  
in tam vasto terrarum orbe non credibile, nisi crederemus,  
quod absque ulla necessitate, per miraculum & extra ordi-  
nariam Dei directionem in ipso etiam irsinere, & Averni de-  
scensu retardatae sint, donec eas sola Anima servatoris an-  
recessisset. Præterea, quod Thaddeus Christum cum magna  
turba ascendisse dicit, inde etiam solum (prius) descendisse  
dicere volebat; Atqui dicit, ad suum Patrem ascendisse, er-  
go etiam a suo Parre (prius) solum descendisse dicere vole-  
bat. Porro neque de Christi in uterum virginis Mariæ de-  
scensu Thaddeum agere, pugnat, plane enim inepte οὐδὲ  
υρεκοτως urisset ac inculcasset, solum Christum & non plures  
cum

p) Histor. Eccl. Lib. I. c. XIII. p. 35.

q) Diff. II. T. II. §. I. p. 570.

*cum eo animas aut spiritus in uterum virginis descendisse &c.* Tam subtilem & argutum esse decet illum, qui, plana veritatis via deserta, novos circuitus & ambages sibi quaerendas esse dicit. Primam si hanc totam historiam, quam EVSEBIUS narrat de Thaddaeo ad regem ABGARVM Edessam missio, conflictam & fabulotam esse diceremus, nil statueremus praeter id, quod non contemnendis rationibus doctissimi viri, si minus demonstrarunt, certe verisimilimum esse ostenderunt. Lege quae IOH. CLERICVS r) hac de re in compendio obseruavit. At quem vir doctus sese alio loco probaturum esse promiserit, s) hanc historiam certis fundamentis fretam esse, faciles hic quidem ac liberales erimus, remque ita Edesiae a THADDAEO gestam esse, ut ab EVSEBIO narratur, tantisper concedemus. Satis nobis in ipsis verbis THADDAEI præsidii erit, ad hanc novam & singularem interpretationem resellendam. Ante vero quam id facimus, observatione dignum erit, hunc THADDAEVUM, qualiscunque demum fuerit, & quomodo cunque verba eius exponantur, cum Socinianis minime sensisse, sed in CHRISTO Servatore nostro binas naturas, divinam & humanam, aperte professum esse. Describemus ipsa eius verba, ex quibus id luculenter apparet. Promittit enim THADDAEVUS lese verba facturum esse περὶ τῆς συμπότητος καὶ ἐλευθερείας, καὶ περὶ τῆς τακτικήσεως τῆς Φαινομένα ἔωσιν αὐθόρουπα. Καὶ πώς ἐπαπένθετον εἰςτὸν καὶ ἀπέθανε, καὶ ἐτύμχενεν αὐτῷ τὴν θεότητα. De utilitate & abiectione exterioris eius humanitatis: quo factio semet ipse depresserit, mortemque subierit, & divinitatem suam in se minuerit. Vides hic aperte THADDAEVUM humanitatem CHRISTI a divinitate eius segregasse. Non ignoro quidem CRELLIVM alio loco t) hac etiam

r) Hist. eccl. Saec. I. ad Ann. XXIX. p. 339. & 333.

s) Initio Evangelii S. Iohannis restitut. Tom. II. p. 569.

t) Initio S. Iohannis restit. Part. I. cap. IX. p. 98.

etiam verba pervertere, atque contendere, hominem exteriorē, τὸν ἔξωθεν ἀνθρώπον, corpus Christi, θεόθυτα vero seu divinitatem, animam designare eius. Sed quam violenta haec sit expositio & ab omni veterum loquendi ratione aliena, res ipsa declarat. Quis unquam sapientum & antiquorum doctorum animam, hominis divinitatem appellavit? Et quanam, quaeſo, ratione anima CHRISTI diminuta fuisset, cum ille mortem pro nobis obiret? Alios ſibi quaerat vir doctus subscriptores, alios approbatores, quam homines recta ratione praeditos, si ita ipſi veterum ſcripta exponere lubet.

### §. III.

Nunc ad illa ipſa verba veniamus, de quibus hic agitur. CRELLIVS noster ſic argumentatur: THADDAEVS ait, CHRISTVM ſolum adiſcendiffe, deinde magna turba comitatum ad Patrem revertifle. At CHRISTVS non ſolus deſcendit, cum ad inferos deſcenderet: alias enim animas eodem tempore deſcendiffe, probabile eſt; neque haec verba de deſcensu in uterum Mariæ poſſunt intelligi: ridiculum enim fuiffet indicare, nullas cum ipſo animas in uterum virginis deſcendiffe. Relinquitur ergo, ut credamus, CHRISTVM in coelum fuiffe raptum, & deinceps a Patre in terras remiſſum. Magna vero illa turba, quae CHRISTVM comitatum eſt, deſcendit in iterum, multitudine magna eſt reſuſcitatorum a mortuis sanctorum, aut potius animae eorum inferno liberatae. Videamus, quo nam haec expositio robore valeat. Concedimus de deſcensu CHRISTI ad inferos hunc capi locum non poſſe; docet id orationis con-textus: nam paulo ante de deſcensu CHRISTI ad inferos THADDAEVS iam loquutus erat. Nec igitur opus eſt nobis iſta ratione nimis ingenioſa, quam CRELLIVS affer, ut id nobis perluadeamus. Cur vero de deſcensu IESU CHRISTI in uterum virginis Mariæ hoc dictum in-telligi nequeat, ne umbra quidem rationis appetet. Quod enim

E

enim C R E L L I V S ait, valde fuisse ridiculum, si T H A D D A E V S Edessenos edocere voluisse, in uterum Mariae nullos, alios praeter C H R I S T V M descendisse, id totum est ut verum farcar, nugatorium, & cavillationem magis, quam explicationem redolet. Scilicet ex illis, quae de alcensu C H R I S T I T H A D D A E V S adiicit, manifestum est, vocabulum πάρος solus hic significare nullo comitatu stipatus. Quare nil obstat, ut haec verba sic exponantur: C H R I S T V S cum in uterum Mariae descenderet, solus, id est, nullis ministris stipatus, nullis geniis coelestibus comitatus fuit, sed humilis totus & demissus humanam naturam assumpit. Scilicet non id significare vult T H A D D A E V S, Servatorem nostrum solum in uterum Matris ingressum esse: id enim per se fatis constabat: Sed hoc edocturus erat Edessenos, I E S U M cum ad humanam naturam secum coniungendam in Mariæ uterum descenderet, solum fuisse, aut nullam angelorum & ministrorum coelestium familiam ipsum comitaram esse, omnem ab eo pompa, & regium apparatus absuisse. Quemadmodum cum de Rege quodam scriptum legimus, cum multis famulis stipatum ad locum quandam accessisse, nemini inde colligere licet, comites illos una cum Rege in istum locum omnes ingressos esse: ita etiam, si idem Rex solus ivisse aliquo dicitur, id ita debet intelligi simpliciter, nullos ipsi comites itineris adfuisse, non autem sic, ut E V S E B I V M exponit C R E L L I V S, neminem cum ipso in illum locum intrasse.

#### §. IV.

Haec fortassis robustiora videbuntur, si reliqua etiam T H A D D A E I verba explanabimus, & quanam magna illa turba sit, quam C H R I S T V M ait comitatum esse in coelum ascendente, planum faciemus. C R E L L I V S noster animas hic videt hominum per Servatorem nostrum ex infernis

ris liberatas. Sed meliora exspectassimus ab homine, qui totam exhaustisse videri vult veterum Christianorum Theologiam, nosque omnes vim antiquorum scriptorum parum adhuc recte cepisse, existimat. Primi civitatis christianae conditores in hac fere omnes fuerunt sententia, CHRISTO in his terris versanti coelestes genios semper adfuisse, eunque hinc in coelum redeuntem magno cum plausu tanquam victorem & triumphatorem comitatos esse. Docebo id nonnulli veterum scriptorum locis, qui primum ex magna copia nobis sese offerent. EVSEBIUS ipse de cuius verbis hic agitur, quum Psalm. XC, ii. verba interpretatur: *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, de Christo ea esse accienda in primis, praecepit.* Tabernaculum vero cuius David meminit, corpus esse CHRISTI opinatur. u) ὅτι μὲν οἱ ἄγγελοι διηκόνευσαν τῷ ἑδεῖχαν οἱ ἐναργελίσαι. Πολὺς δὲ διεκούσας αὐτῷ παρέχον, οὗτοι μὲν οὐκ ἐμπονέσσαντι δὲ προκειμένη, προφτέας ἐδίδαξαν, ὅτι τὴν περὶ τὰ σωματικὰ καὶ σπινθέτα διακονέσσαν. Εφίλαττον γάρ εἰντει τὸ σκήνουσα, ὅπως μὴ μάστιξ αὐτῷ πλησιάσῃ. Ἐφεούραν δὲ αὐτὸν οὐ, τὰς ποδάς, ὡς ἀν μὴ προσκόψειν μέχει τῇ σπινθοτάτᾳ καὶ συτελεσάτᾳ. *Sane* quod angelii ipsi ministraverint, Evangelistae declarant, quod autem ministerii genus ipsi praefliterint, non memoria- runt illi: sed id praesens prophetia docuit, videlicet circa corporea & minima eorum ministerium fuisse. Nam eius ta- bernaculum custodiebant, ne flagellum ipsi appropinquaret: eius autem pedes tutabantur, ut ne vel in minimo ac levissi- mo offendherent. DIONYSIUS ille AREOPAGITA, antiquus cer- te autor, qualiscunque deum fuerit, huic ita deditus erat sententiae, ut non mode Servatore nostrum angelis, qui- bus Deus Pater curam ipsius commississet, obedientem certo modo

E 2

modo

u) Commentario in Psalmos in BERN. MONTFAVCONII collec-  
tione nova Patr. Graecor. T. I. p. 602.

modo fuisse scribebat x) sed etiam nubem illam, a qua CHRISTVS in coelum ascendens receptus esse legitur Actor. I. i. angelos fuisse existimaret. y) En verba PACHIMERIS interpretis eius. Περιπλάττει καὶ νεφέλης ἰδέαν ἡ ἵερος Γραφὴ τοῖς αὐγγέλοις κατὰ τὸ καὶ νεφέλην ὑπέλαβεν ἀντὸν ἀπὸ τῶν ἱφθαλμῶν αὐτῶν. Sacra quoque Scriptura nubis proprietatem Angelis affingit, iuxta illud: Εἰ nubes suscepit eum ab oculis eorum. Clarissime omnium HIPPOLYTUS, celeberrimus saec. III. Doctor & Martyr, cuius locum tanto libentius affero, quoniam simul testimonio est, CHRISTI in coelum raptum antiquissimis Christianorum doctoribus proorsus ignotum fuisse. Τεχεται, inquit de CHRISTO, z) ἐπὶ ταῖς ἁγανίας πύλαις, ἀγρυπλοὶ αὐτῷ συνοδέουσι, καὶ κεκλεισμέναι στοὺς αἱ πύλαις τῶν ἁγανῶν. ὕδεπον γάρ ἀναβέβηκεν εἰς ἄρανες. πρώτος νῦν φάνεται ταῖς δυνάμεσι ταῖς ἁρπάσαις τάξεις ἀναβανθεῖσα. Venit ad coelestos portas, angelis ipsum comitantibus, Εἰ clausae erant portae coelorum. Nondum enim in coelum ascenderat, sed tunc primum apparuit potestatibus colestibus caro ascendens. Igitur magna illa turba, quam THADDAEVS CHRISTO in coelum ascendi adiungit, nihil est sine ulla controversia, quam chorus angelorum coelestem Regem superatis hostibus in coelum redeuntem comitans. Ex quibus omnibus apparet, orationis THADDAEI hanc esse sententiam: Enarrabo ego vobis, quemadmodum CHRISTVS, cum ex coelo descenderet, ad carnem sibi nostram iungendam solus nullo comitatu, nulla regali pompa instructus, sed humilis & demissus descendenter, superata vero morte & debellato Cacodaemonem, ingenti angelorum exercitu cinctus, triumphatori & victori plaudentium, ad coelestes sedes reversus fuerit.

§. V.

x) De coelesti Hierarchia Cap. IV. pag. 55. 56. Tom. I. Opp. Adde Capite XV. pag. 198. &amp; 208. edit. Corderii.

y) De coelesti Hierarch. Cap. XV. pag. 221. Tom. I. Opp.

z) Enarratione in Psalm. XXIV. 7. Tom. I. Opp. p. 268.

## §. V.

Aliud, quod merito mireris, in turpissimi nebulonis,  
**SIMONIS** Magi, quem haereticorum parentem vocare  
 solet antiquitas, mendaciis & nugis, opinionis suae fulcrum  
 posicem esse putat. a) **SIMON** mentitus est, sic argumen-  
 tatur, sese de coelo in terram descenisse. At ille **SIMON**  
 in omnibus aemulari **CHRISTVM** voluit. Ergo, quin  
**CHRISTVS** in coelum raptus sit, & inde descenderit, nul-  
 lum est dubium. *Vnde enim, inquit, alioquin Simon Ma-*  
*gus, qui sibi ea tribuebat, quae de Christo dicebantur, se de*  
*coelo descendisse, affirmasset, nisi simile quid de Christo ab*  
*eius discipulis traditum accepisset?* Difficile est, ut verum  
 faceat, Satyram non scribere, si homines, quibus omnia for-  
 dent praeter sua, & qui rationem semper in ore habent,  
 tam scire & apte calculos ponere videoas? Simon Magus,  
 sceleratus impostor, plebi imperitiae persuadere studuit, sese  
 de coelo delcendisse; Igitur **IESVS CHRISTVS** trigesi-  
 mo aetatis anno b) in coelum sublimis evolavit & ad ho-  
 mines postea rediit. Miror, cur non & ea huc trahat vir  
 doctus, quae de volatu magico Simonis Magi in aere vete-  
 res plurimi tradont. c) Etenim aeque belle & pulchre ex  
 illo Simonis volatu magico raptus **CHRISTI** in coelum  
 demonstrari potuisset, atque ex dicto eiusdem delcensu  
**CHRISTI** de coelo descensus probatur: Simon Magus  
 quadrigis igneis in coelum evolavit, teste **ARNOBIO**. d)  
 Ergo **IESVS**, non secus ac Elias, quadrigis igneis in  
 coelum primum est sublatus, antequam inde descenderet ite-  
 rum. Simon enim **CHRISTVM** imitari voluit. *Vnde*  
 vero hoc autus fuisset & sibi arrogasset, nisi ex discipulis  
**CHRISTI** cognovisset, idem **CHRISTO** accidisse? Sed

E 3

mit-

a) Dissert. II. §. II. p. 571.

b) Vid. CRELIVS lib. cit. Tom. II. p. 574.

c) Vid. ITTIGII Historia Eccl. Saec. I. cap. V. §. 17. p. 274.

d) Lib. II. adv. gentes p. 50.

mittamus haec: rem ludicram, quam cum fabulis compone-  
nere possemus, in seriis habere nos **CRELLIVS** vult.  
Geramus igitur morem viro docto, & suo pondere hoc  
fulcrum metiamur.

## §. VI.

Generatim primum argumentum hoc a Simone Mago sumtum considerabimus, deinde membra eius expendemus. Ratio haec, si quam vim haber, ad hanc summam reddit: Quum Simon Magus **CHRISTVM** ubique imitatus sit, ideo sic nos statuere decet, actiones & mendacia Simonis Magi simulacula rerum gestarum & actionum **CHRISTI** esse. Assumamus hoc ut verum, & lepidissimam habebimus **CHRISTI** historiam, prorsus ab ea, quam sacri scriptores tradiderunt, diversam. Tentemus, an fatis felici sumus ingenio ad subtilitates viri docti imitandas. Simon Magus bis immo ter sele descendisse de coelo mentitus est, alia sub specie inter Iudeos, alia inter Samaritanos, alia inter gentes reliquas. e) At Simon **CHRISTVM** ubique imitatus est: Ergo **CHRISTVS** etiam ter & nova semper sub forma de coelo ad nos delapsus est. Vnde enim haec aliququin fingere potuisse Simon, nisi a discipulis **CHRISTI** edocitus fuisset, ita rem gestam. Pergamus. Simon Magus Helenam, mulierem quandam quaestusriam, circumduxit secum, ac stultissimas de eo fabulas in vulgus disseminavit. De **CHRISTO** igitur similia nobis credenda sunt. Nam Simon omnibus in rebus **CHRISTI** fuit simia. Simon Magus Iovem se esse Graecorum affirmavit, ideoque, quod **IRENAEVS** testatur, imaginem suam ad figuram Iovis fieri curavit. At nihil homo ille fecit, praeter id, cuius in vita **CHRISTI** vestigia vidit. Ergo fas est credere, Servatorem nostrum ea sibi quoque arrogasse, quae de Iove suo Graeci nugabantur. Festius habebimus Servatoris

e) Vid. **IRENAEVS** lib. I. cap. XX. pag. 94. edit. Grabii.

vatoris nostri historiam, & plane novam, si hanc viam,  
quam nobis vir doctus monstravit, sequi & ex Simonis  
portentis & flagitiis C H R I S T I aestimare licet vitam  
& opera.

### §. VII.

Singula iam si membra huius argumenti expendamus,  
nihilo plus firmitatis offendemus. Assumit vir doctus, Si-  
monem C H R I S T V M ubique aenulatum esse, assumit  
etiam Simonis de coelo descensum parem esse illi descen-  
sui, quem Sociniani Servatori tribuunt. Vtrumque vero  
falsum est. Primum nusquam scriptum extat, Simonem  
C H R I S T V M sibi unice in exemplum proposuisse, quod  
imitaretur. E contrario ex multis veterum appetat dictis,  
eum novam sibi prorsus religionem excoxitasse, nec com-  
mune aliquid cum CHRISTO habere voluisse. Ipse pro legato  
Dei & pro Messia immo pro Deo, si qua fides est antiquorum  
testimoniis, haberi volebat. Huic autem proposito ipsem  
obstinxerit, & vehementer nocuerit, si eius actiones & res  
gestas unice expressissiter, & imitatus esset, quem ipse Mes-  
siam credi solebat. Descensus deinde Simonis prorsus dis-  
sert a raptu & descensu C H R I S T I, quem C R E L L I V S &  
socii ipsius animo conceperunt. Describam Irenaei f) ver-  
ba, testis antiquissimi, ex quibus id manifestum est. *Hic*  
*igitur a multis quasi Deus glorificatus est, ut docuit semet-*  
*ipsum esse, qui inter Iudeos quidem quasi filius apparuerit,*  
*in Samaria autem quasi Pater descendenter, in reliquis vero*  
*gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit. Eesse autem se*  
*sublimissimam virtutem, hoc est eum qui sit super omnia Pa-*  
*ter, & sustineret vocari se quocunque eum vocant homines.*  
Quantum discriminem! primum raptus ille in coelum hic  
desideratur, in quo caussae suae praefidium maxime ponunt  
Sociniani. Postea non semel Simon Magus, sed aliquoties  
&

f) Lib. I. cap. XX. pag. 94. edit. Grabii.

& noua semper sub specie descendisse videri voluit, cum tamen Sociniani semel tantum CHRISTVM de coelo demissum esse tradant. Postremo quis non videt Simonem non hominem a Deo missum, sed ipsum Deum haberi voluisse? Ex quo perspicuum est, descensum, quem ementitus est, non esse de censum proprium & localem, qualem CHRISTO Sociniani tribuant.

## §. VIII.

Hic simile prorsus & affine est, quod a Mahumede sumit argumentum, ad sententiam suam probandam. Quare, licet ab eo, quod adhuc consideravimus, intervallo quodam separatum sit, statim illud subiungemus: MAHOMEDES fingebat se in coelos fuisse protectum, ut inter alios ABVLFEDA in vita eius tradit. Oportet ergo, inquit CRELIVS g) impostorem istum a Christianis sui temporis audivisse, quod Christus ante mortem suam in coelum ascenderit & inde descenderit; hinc sibi quoque iter illud in coelos tribuebat, ut auditoribus suis, dogmata sua paris cum Christi Evangelio auctoritatis & certitudinis esse, probaret. Et inreiectis nonnullis ita pergit: Credebatur ergo adhuc tempore Mohammedis, a Christianis saltem unitariis, ascensio ista Christi in coelos, quae ante mortem eius contigerat, proprie dicta. Bone Deus! ut fibimetipis & ingenitis suis iniuriam afferunt, qui novis opinionibus, quas sacræ neisciunt litteræ, student? Mahomet sceleratus impostor, Arabes, homines leues & credulos, iussit credere se a Deo in coelos fuisse raptum: Ergo CHRISTVS servator noster aliquando, quum in terris esset, in coelum a Deo est evocatus. Qui veritati bene cupiunt, illi ex animo oprobabant, ut iisdem armis hostes eius pro erroribus suis dimicare pergent. Quod si fecerint, mox conclamatum erit: nec ullus tam imperitus & rudis erit, quin veritatem unam omnibus

---

g) Diff. II. §. X. pag. 580.

nibus commentis humanis praferendam esse sentiat.  
 Quod si solus Mahumet eiusmodi quid de se praedicasset,  
 specie aliquid haec haberet ratio. At neminem fugit, pler-  
 osque impostores religiosos inter populos orientales, qui  
**CHRISTVM** nescivere, similia de fede perhibuisse. Fieri  
 non potest aliter, quin illi, qui fictas religiones populo  
 cuidam persuadere volunt, mentiantur, fide cum Deo col-  
 loquitos esse, & commercium cum illo habere. Mahu-  
 met igitur cum vatum omnium, quoquot unquam fuis-  
 sent, maximum & praestantissimum fide esse, in Arabum  
 imprimere vellet animos, idem de se iactare debebat. Qua-  
 les vero hi Arabes? Gens illiterata, rufis, notionibus cor-  
 poreis assuta, nec a sensibus & oculorum consuetudi-  
 ne animum avocare edocta, quae Deum censebat homini-  
 bus esse similem, corporeum & coelo conclusum, quarum  
 opinionum vestigia ipsa Mahumedis lex bene multa com-  
 pleteatur. Quocirca cum Mahumedes familiarem & ami-  
 cum Dei fide haberi veller, necessarium erat, ut ad populi  
 captum & ingenium fide accommodaret, Deumque, quem  
 regis instar in coelo residere existimabant Arabes, te ex ter-  
 ris in arcem suam ad colloquium accessivisse mentiretur.  
 Imo ipse Mahumet, quod omnes eius sermones probant,  
 nihil sapientius de Deo sensit, quam faex vulgi in populo,  
 in quem dominationem affectabat. Quo circa sic statua-  
 mus oportet, ipsam rei necessitatem vaserrimum hunc ho-  
 minem induxisse, ut coelestem eiusmodi raptum communi-  
 sceretur, non autem Servatoris nostri exemplum. Id scili-  
 cet curant veteratores, qui populum circumvenire volunt,  
 ut historiam consulant, & ab aliis exempla, quae imiten-  
 tur, petant.

### §. IX.

Exstat in operibus **LVCIANI**, scriptoris Graeci notissimi,  
 Dialogus, **PHILOPATRIS** inscripus, eo, ut videtur, con-  
 filio exaratus, ut Christiana sacra omnium ludibrio & risui  
 expo-

F

exponerentur, quem non ita pridem vir longe doctissimus IO. MATTH. GESNERVS, nova cum verione & eruditis observationibus separatim edidit. h) Dudum quidem viris eruditis multis patuit indicis, temere & sine ulla causa LVCIANO, auctori eleganti, libellum hunc esse adscriptum i): at iidem tamen, quum perantiquus sit & ea scriptus aetate, qua certamina inter Christianos & Deorum cultores maxime vigebant, non esse nullam eius auctoritatem semper iudicarunt in veterum Christianorum sententiis & ritibus explanandis & probandis. Nec ignotum est, qui cum Socinianis pugnarunt, eos ex hoc Dialogo testimonium petivisse ad antiquitatem doctrinae nostrae de Trinitate confirmandam: qua de re vel unus GEORG. BULLVS k) consuli poterit. Ex hoc ergo Dialogo suam quoque de raptu CHRISTI in coelum fabulam CRELLIVS noster stabilire contendit. Quumque magna sit virorum doctorum de aetate huius Dialogi discordia, quorum omnium sententias copiose exposuit & erudit GESNERVS expendit, l) ipse ingeniosissimi viri, WALTHERI MOYLE, equitis Angli, sententiam sibi duxit esse probandam, qui non plane spernendis rationibus ante aliquot annos demonstrare voluit, eum aetate Diocleriani A. 297. exaratum esse. m) Hanc quidem controversiam, quum parum faciat ad institutum nostrum, nec multum iuvet CRELLIVM, si eo tempore certum sit, quo ipse vult, hunc librum exaratum esse, dimittimus, remque ipsam de qua agitur, unice spectamus. Afferemus primum ipsa DIALOGI verba, quibus utitur; tum quomodo ex illis ratiocinetur, videbimus: postremo de hoc loco ipsi sententiam dicemus.

## §. X.

h) Ienae 1715. 8.

i) Vid. FABRICII Biblioth. Graec. Vol. IV. cap. XVI. p. 504.

k) Defensione fidei Nicenae Sect. II. c. IV. §. XI. Opp. a GRABIO editor. p. 73.

l) Diff. libello huic praemissa.

m) The Works of Wolter Moyle vol. I. p. 292.

## §. X.

Verba ipsa facti huius **LUCIANI**, quae rebus suis  
conducere putat, haec sunt: **TRIEPHO** loquitur: n) καὶ  
γὰρ πρώην καὶ γὰρ ταῦτα ἔπιστον, ἀπερ τύ. οὐκέτι δὲ μοι Γαλιλαῖος  
ἐνέτυχεν σίναφαλαντίας, ἐπίρινος, εἰς τοτὸν ὑδανὸν αἰεοβατήσας,  
καὶ τὰ κάλλιστα ἐκμεμαθηκός, οὐδατος ἡμᾶς ανεκαλύπτεν, εἰς τὰ τῶν  
μακάρων ἔχια περιεπιδεύτερος καὶ ἐκ τῶν οἰστέων χωρῶν ἡμᾶς ἐλυ-  
θρώσατο: καὶ σὲ ποιῶ, η με αἴσιης, ἐπ' αἰλινέιας ἀσθετῶν. Haec  
doctissimum GESNERVS ita vertit: Antea enim mihi, quae iam  
tibi usi evenerunt. Sed postquam in Galilaeum incidi, re-  
calvastrum, naſonem, qui per aërem incedens in tertium us-  
que coelum se penetraverat, resque omnium pulcherrimas ibi  
didicerat, is per aquam nos renovavit, in impiorumque ereptos  
regionibus in beatarum animarum vestigiis collocavit. Etiam  
ex te faciam, si auscultare mihi velis, vere hominem. Non  
probat omni ex parte hanc versionem C**RELLIVS**, ipse  
vero sic verba reddenda esse censeret. o) Postquam vero Ga-  
llaeus in me incidi (recalvaster, naſo, qui in tertium coe-  
lum per aërem ascenderat, resque omnium pulcherrimas ibi  
didicerat) per aquam nos renovavit, in beatarum anima-  
rum vestigia insisterem fecit & ex impiorum regionibus nos  
redemit, etiam ex te faciam, si auscultare mihi velis, in ve-  
ritate hominem. Vtra versio praeferenda sit, nunc quidem  
exquirere nolim: ad rem ipsam enim, utrum hoc vel illo  
modo veritas, nihil emolumenti aut detrimenti redundat.  
Omnes autem, qui in hunc incidere Dialogum, viri docti  
PAVLI raptum his vocibus perstringi censuerunt ab ho-  
mione profano, nec tertium coelum, quod hic memoratur,  
aliam pati videtur expositionem. At C**RELLIVS** noster,  
quo commodis & opportunitatibus lectae suae consuleret,  
unus aliter hunc locum explicat, atque illum, qui exagi-  
tatur

n) Cap. IX. p. 132. ed Gesneri.

o) Diff. II. l. e. §. IV. p. 576.

tatur hic, ipsum esse CHRISTVM adseverat. Quo frētus fundamento concludit. illius aetatis christianos, saeculo nimirum terro, credidiss., quae Sociniani credunt, CHRISTVM de terra in coelum esse raptum, & divinis acceptis mandatis, inde redisse.

### §. IX.

CHRISTVM quo hic irrideri doceat, ea urget, quae in verbis scriptoris Graeci cavillationi de tertio coelo adiecta leguntur: Dicitur enim is, qui in tertium ascendit coelum, per aquam nos renovasse, in beatarum mentium vestigia nos introduxisse, & ex impiorum regionibus redemisse. Haec, inquit, de Paulo dici non possunt, sed uni Servatori nostro convenientiunt. Igitur de CHRISTO sermo est. Ipse vir doctissimus GESNERVS in his verbis nonnihil haecit: Apparet, inquit, auctōrem huius Dialogi aut non satis cognitas habuisse bac in parte christianorum res, aut studio pervertisse. Quis enim quaefo dōctori suo tribueret redemtionem ex inferis, cum iniuria in sanctissimum salutis nostrae auctōrem Christum Deum. At quid de reliquis fiet? Vocatur ille, qui in tertium coelum ascēdit, a cavillatore nostro, ἐπίπονος, homo longiore naso praeditus, & αὐτοφαλαρτος, recalvaster. Haec in Paulum quidem cadere possunt, at vix ac ne vix quidem in CHRISTVM. Sed neque hic ingenium virum doctum destituit. Quod enim ad nasum attinet, NICEPHORVM observat tradidisse, & CHRISTVM & matrem eius Mariam iusto suisse naso. p) Nec difficiliori labore calvum dici potuisse Christum, demonstrat. IRENAEVM ait scriptum reliquise, Christum seniorem aetatem, antequam pro nobis pateretur, attigisse. Ergo, ait, & recalvaster olim ex eiusmodi vetere historia, ut senior esse crederetur, pingi singique poterat. Quid multis? Veteres, qui saeculo tertio vixerunt Christiani, CHRISTVM in

p) §. VII. p. 583.

in tertium coelum ascendisse, nato fuisse aquilino, calvum  
denique crediderunt. Nam id scriptor quidam nescio quis  
memoriae videtur prodidisse.

### §. XII.

Nimis forte longum foret, omnia, quae hanc argumentationem ingrediantur, suis ponderare momentis: Et sunt quaedam praeterea in illis, quae ne refutationem quidem promerentur. Quae exempli causa de nato & senectute CHRISTI differit, nec speciem, nec gravitatem habent. Quis enim sapientis esse credit, ex Græculorum recentiorum de forma CHRISTI nugis, quas NICEPHORVS memoriae prodidit, colligere, quaenam antiquorum Christianorum de facie CHRISTI sententia fuerit? & hoccine obsecro, argumentari est: IRENAEVS, ut melius refelleret Valentinianos, CHRISTO temere grandiorem aeratem attribuit. Igitur hoc alii ita esse non dubitarunt. Itaque CHRISTVM caluum pinxerunt. Igitur CHRISTVS recalvaster a Christianis saeculi terrii fui habitus. Inianos haud dubie & mente capros nos putavit esse vir doctus, si eiusmodi argumentis nos capi posse censuit. Sed mirramus haec & brevius rem expediamus. Confectum erit omne negotium, si & hoc planum faciamus, nihil ex huius auctoris testimonio probari posse, & deinde quidnam de dicto hoc censendum sit, aperiamus. Ante omnia hoc pugno, & universos, qui rerum Christianorum non prorsus ignari sunt, ut iudicent testor, dictum hoc multo aprius & melius in Paulum, quam Iesum Christum quadrare. Quae de tertio dicuntur coelo perspicue ex Pauli verbis hausta sunt II. Cor. XII. 2. nec usquam terii coeli mentio sit alias in S. litteris. Quae vero de forma illius, qui in tertium ascendisse coelum dicitur, hic traduntur, ea de CHRISTO a nullo veterum auctorum scripta sunt, illis autem, quae de Pauli figura antiqui tradidere, omni ex parte consentanea

mea

nea sunt. Docent id antiqui illius auctoris verba, qui acta  
 Pauli & Theclae litteris confignavit. q) Ιδόντες δὲ τὸν ἄνδρα  
 ἐχόμενον, τὸν Παῦλον, μικρομεγέθη, φιλότελον καθαίδην, αἰρύ-  
 λον τεῖς κνήμας, ἐύκηρον, σινοφεύν, ἐπιρρόν, χάριτος τολμήν.  
*Videntes igitur adventementum Paulum, statuta brevi, calva-*  
*frum, cruribus curvis, furosum, superciliis iunctis, naso a-*  
*quilino, plenum gratia.* Nec quae de renovatione per a-  
 quam & liberatione ex inferis adiiciuntur, ab hac aliquem  
 sententia dimovebunt. Quamvis enim proprie CHRISTO,  
 Servatori nostro, coelestia haec tribuenda sint beneficia,  
 neminem tamen praeterit, servis & ministris IESV CHRI-  
 STI, per quos illa munera Dominus imperit hominibus &  
 applicat, quodammodo ea quoque adscribi. Is certe, qui  
 infante lacro fonte abluit, commode dici potest eum per  
 aquam renovasse; & qui verbi divini virtute homines ex ca-  
 codaemonis potestate eripit, non male perhibetur eos in be-  
 atarum mentium vestigiis collocatos ex inferis ad eruisse,  
 quoniam eo tanquam instrumento usus est Dominus ad ista  
 perficienda, etiam si nec renovationis doctor ille, nec salu-  
 tis auctor & dator sit. Neque haec sine auctoritate aut in-  
 vitiis sacris litteris, sed illis praeeuntibus, dicuntur. *Pro*  
*CHRISTO enim, PAVLVS ait, legationem ministri eius*  
*obeunt. Deus per illos exhortatur.* 2. Cor. V, 20. *Et TI-*  
*MOTHEVS eidem viro sancto & sibi & suis auditoribus*  
*salutem aeternam praestare dicitur, cuius tamen salutis prin-*  
*ceps & largitor TIMOTHEVS non erat.* 1. Tim. IV, 16.  
*Et, ut brevis sim: Quid planius, & accommodarius ad LV-*  
*CIANI verba IACOBVS pronuntiato?* c. V, 20. ὁ ἐπιστέψας  
 ἀμαρτωλὸν ἐν πλάνης ὅδε ἀντεῖ, qui peccatorem ex via perva-  
 sa reducit, σώσει ψυχὴν ἐν Οὐαίτῃ, is animam ex morte libe-  
 rat. Nulla ergo Servatori nostro iniuria fit, quum ministri eius  
 & legis quodammodo adscribuntur, quae ipsius aliquin sunt beneficia, quum ipse per Spiritum S. ita loquu-  
 tus sit.

§. XIII.

q) In Io. ERN. GRABII Spicilegio antiquor. Patr. Tom. I. p. 95.

## §. XIII.

Propius iam congregiamur. Si his nulla virtus ines-  
set, quae tamen inest illis, quod omnes vident, maxima,  
neque sic tamen proficeret aliquid C R E L L I V S. Conten-  
do enim, non eum esse hunc obscurum nebulonem, cuius  
auctoritati stare homo queat ratione praeditus. Convenit  
inter omnes, hunc qualiscumque demum fuerit, scripto-  
rem exilis & pusilli fuisse ingenii, Sophistam rotundis qua-  
drata miscentem, nullo rerum delectu, nulla eloquentia,  
nullo ordine insignem, servum paucis L U C I A N I imitatorem:  
Convenit quoque, eumdem rerum Christianarum non fuisse  
peritisimum, quod ex multis Dialogi huius locis apertum  
est: Convenit denique, hominem istum id egisse, ut ride-  
nam propinaret omnibus religionem Christianam, & infen-  
so in fratres nostros fuisse animo. Huius numeri scriptori  
quantum, queso, tribui potest? Qui rerum Christianarum  
exitium optabant olim, & fratres nostros vel voce, vel scri-  
ptis aggrediebantur, quis ignorat, multas de illis fabulas &  
mendacia, ut facilius triumpharent, in vulgus parlisse, &  
doctrinam eorum plane pervertisse? Nonne multi extant  
Christianorum libelli, & plures olim extitere, quibus has  
calumnias retundunt & reprimunt? In horum ergo familia  
quum hic nebulo fuerit, quum consueto turpitudinem Chri-  
stianae religionis demonstrare voluerit, quod nemo diffite-  
tur, isne est hic homo, ex quo, quid Christiani olim sen-  
serint & docuerint, discendum est? Si P A V L O is tribuis-  
set, quod tamen non fecit, quae soli C H R I S T O fuissent  
tribuenda, nonne veri foret simile, aut studiose res plane  
diversas miscuisse nominis Christiani adversarium, ut ha-  
beret, quod irriderer & convitiis illuderer, aut quum  
mediocriter edocitus esset mysteria nostra, temere, quae le-  
iungi debebant, composuisse. Ab hoc ergo auctore testi-  
monium veritatis petere, aequo sanum est, ac C E L S U M  
adire, ut ex eo quid fratres nostri senserint, audiamus.

## G

## §. XIV.

## §. XIV.

Reliquum est, ut meam de hoc imitatoris LVCIANI  
loco sententiam proferam. In eam fere opinionem pro-  
pendeo, nec CHRISTVM, nec PAVLVM his verbis ho-  
minem profanum designare voluisse. Concedunt omnes,  
diu post natum Servatorem hunc exaratum esse dialogum:  
Saeculo tertio adsignat illum cum MOYLIO CRELLIVS:  
Ad quartum etiam derudit doctissimus GESNERVS. Ma-  
nifestum deinde est, TRIEPHONEM, qui se dicit renova-  
tum & regeneratum esse a nasone & calvastro, qui in ter-  
tium ascenderit coelum, de eo loqui magistro & doctore,  
a quo feme tipsum singit ad Christianam religionem addu-  
ctum esse. TRIEPHO ergo ille si, quod CRELLIVS opi-  
natur, saeculo tertio fuit, nec PAVLVM nec CHRISTVM  
his vocibus indicare potuit, sed doctorem quendam Chri-  
stianum sua aetate viventem. Certe nulla umbra, nec vesti-  
gium in hoc extat dialogo, acsi autor ille hunc dialogum  
voluisset tempore CHRISTI aut PAVLII videri habitum esse:  
contra perspicue ad res sui aevi digitum aliquotum inven-  
dit: quod argumento videtur esse, eum nec de PAVLLO, nec  
de CHRISTO, quorum tempora dudum praeterierant, cogi-  
tasse, sed antistitem quendam Christianum aetatis suea pe-  
tere voluisse. Neque verba huic interpretationi repugnant.  
Galilaei omnes Christiani dicebantur, quod nemo ignorat.  
Nafo aquilino & calvo capite multi tum esse potuerant in-  
ter doctores Christianos. Beneficia quae sese huic Galilaeo  
debere TRIEPHO memorat, ab omnibus certa ratione do-  
ctoribus proficiisci possunt. Denique illum in tertium coe-  
lum ascensum, nulla nos cogit ratio, ut proprie interprete-  
mur. Quod enim doctissimus iam GESNERVS r) animadver-  
tit, *diegoBateviv* ab ARISTOPHANE de SOCRATE, contempla-  
tioni rerum coelestium debiro, adhibetur. Quare & hic ita  
sumi potest, ut verborum sensus sit: Incidi ego in Galilaeum  
quein-

---

r) In notis ad h. l.

quemdam, qui cogitatione & mente ita sese a terra extulerat, ut tertium coelum, quod olim PAVLLVM fecisse narrant Christiani, attigisse sibi videretur. Non ego cuiquam obtrudo hanc coniecturam: sentiat ut velit quilibet. Si quis vero eam spreverit, id tamen animadverti iubeo, ex observationibus his confirmari, quae de amentia & stoliditate scriptoris huius paullo ante diximus. Quod si enim de PAVLLO interpretandus est locus, neminem tum temporis rerum Christianarum minus peritum, neminem ineptiorem habuerunt eo ethnici, quippe qui PAVLLI aut, si CRELLIO fides, CHRISTI aetatem ad sua revocat tempora, atque sese tertio saeculo a PAVLLO renovatum esse, stultissime perhibet. Magnum & egregium certe testem, quo in christianorum veterum sententiis cognoscendis magistro uti queas.

## §. XV.

Restat unus NOVATIANI locus, ex quo probare vult CRELLIVS, veteres Artemonitas idem, quod se & SOCINVM, de raptu CHRISTI sensisse: s) Locus hic est: t) Descendit auctem Dei verbum, quod ibi fuit: verbum inquam Dei & Deus per quem facta sunt omnia & sine quo factum est nihil. Non igitur homo inde sic de coelo venit, sed Dei sermo, id est Deus inde descendit. Ex his verbis: non igitur homo inde sic de coelis venit, patere purat CRELLIVS, ARTEMONITAS non aliter ac SOCINVM existimasse, ipsum hominem (non Logon aliquem eo antiquorem) in principio evangelii in coelis fuisse, atque inde in eodem principio postea sic venisse. Ego vero omnes homines rectae rationis compotes iudices esse volo, an ex eo, quod NOVATIANVS dicit, non hominem de coelo venisse, sed verbum, consequatur, ARTEMONITAS, quos refellit, statuisse, hominem CHRISTVM in coelum raptum & inde demissum esse. Hic mos est eorum, qui opinione quādam capti sunt, ut ubivis ea videant, quae nemo videre pot-

G 2

est

s) Init. Evang. Iohan. Tom. I. cap. XX. p. 92.

t) Libro de Trinitate cap. XXIII. pag. 443. inter opera Tertulliani

est, nisi eodem animi morbo, quo illi, affectus fit. Quanquam quid his opus est? Senserint ita, ut **SOCINVS, ARTEMONITAE**: senserint ita **PHOTINIANI**, nam & hos in suis numerat **CRELLIVS**: senserint ita omnes, quotquot christianam civitatem olim turbarunt Haeretici: vel hinc enim nobis constare poterit, cum illi ira docuerint, qui a reliquis Christianis reiecti & repudiati sunt, nec antiquis Christianis Saec. II. & III, quod contendit tamen **CRELLIVS**, hanc opinionem placuisse, neque sacris cam litteris consentaneam esse.

### §. XVI.

Vidimus igitur, quanto conatu nihil agat vir aliquin doctus, qui suum esse dicit obsoleta **SOCINI** commenta novis communire & instruere praefidiis. Nos, quibus meliora placent divino beneficio, disputationis huius hunc primum capere fructum decet, ut quam fragili & infirmo fundamento res eorum nitantur, intelligamus, qui nos quotidie spretae rationis postulant, & sepe unos sapientiae & rationi nomen dedisse, reliquos umbrarum more vagari, vociferantur. Gratias igitur agamus Patri coelesti, cuius unicæ benignitati debemus, quod ab eiusmodi erroribus nos adhuc tuti servamus, & meliora ex sacris litteris lapimus. Nec modo verbis gratias ipsi referamus, quas possumus, maximas, sed studiis eriam & vitae sanctimonia sanctissimo huic Numini, veritatis omnis fonti, magis magisque nos probemus, quo beneficiorum illorum, quos **CHRISTVS**, Deus carnem indutus, nobis promeruit, participes fiamus: Quid enim prodest pro veritate excubias agere, & divinitatem **IESV CHRISTI** contra hostium eius insultis tueri, si operibus nostris tanto Servatore nos indignos praestemus, & quam voce scriptisque tuemur coelestem doctrinam, vita factisque, quantum in nobis est, deformemus?

**FINIS.**



ORNATISSIMO IVVENI  
GODOFRED. HOLEISENIO  
S. P. D.  
PRAESES.

**B**ene de coelesti veritate, neque male de se ipsis promerentur, qui specimina ingenii & diligentiae suae in Academiis edituri, eorum studius obviam eunt, qui antiquos errores novis rationibus & artibus exornare ac communire cupiunt. Exhausta fere est errorum materia, omnesque prope copiae consumtae, quae veritati poterant oppon. Hinc, qui vivetas illi manus dare nolunt, non tam id hodie agunt, ut novi aliquid comminiscantur, quam ut vetera commentata novis firmamentis vallent atque roborent. At haec ipsa nisi studiose diruantur, facile fit, ut rerum imperitiis ipsa novitate placeant & obsoletis erroribus pulcritudinem, qua dudum carent, aliquam pariant. Quocirca qui divina dogmata sarta testa volunt esse, eadem vigilare debent diligentia, ne pigmenta antiquorum errorum in animos introducantur, qua carent, ne novi errores imprudenter obsideant.

*Id Tu Tibi dictum esse putasti, Ornatissime HOHLEISENI.* Itaque quum publico docere velles documento, TE non male tempus in lenensi & hac Academia collocasse, virum aggressus es eruditum, cui primae inter Socinianos ob ingenii & eruditionis copiam bodie deferuntur, exemplique demonstrasti luculento, quanta ille, doctrina licet valeat, inopia sectae suae paupertatem & dedecus tegat. In qua re si nonnullis acerius, atque necesse erat, versatus esse videberis, hos reputare decebit, summam viri eruditii audaciam, insignem, quam inter suos obtinuit, auctoritatem, libri denique ipsius famam, postulasse fere, ut liberius eius ulcera tangerentur & consiliorum, quae init, novorum vanitas omnium ob oculos, quam fieri posset, dilucide poneretur. Ego quidem, cui multis iam modis ingenium, pietatem, morum castitatem & diligentiam probasti, vel ex hac dissertatione TVA auguror, fore, ut ecclesiae IESV CHRISTI, illi imprimis, quae in patria TVA floret, salutaria praelestes aliquando officia, ac divinitus nobis tradita dogmata ea sanctitate, qua fas est, ad posteros propages, nec voce modo, sed etiam re ipsa & factis dignitatem eorum tuearis. Quod ut fiat, illique studia TVA foveant, qui rem curant civitatis Christianae, Deum numquam rogare desinam. Vale neque Tui studiosissimum ama.

Dabam in Acad. Iulia d. III. Maii


M D C C X X I X .











00 A 6359

ULB Halle  
002 916 746

3



VD 18

WDT

Retro



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



DE  
**RAPTV CHRISTI**  
**IN COELVM**  
QVEM  
**SOCINIANI FINGVNT**  
*CONTRA*  
**SAMVELEM CRELLIVM**

*PRAESIDE*  
**IO. LAVRENTIO MOSHEMIO,**  
SERENISS. DVCIS BRVNSVIC. A. CONSILIIS  
RERVM SANCTIORVM  
ABBATE COENOBIORVM VALLIS S. MARIAE ET  
LAPIDIS S. MICHAELIS,  
SCHOLARVM PER DVCAT. BRVNSV. EPHORO GENERALI,  
THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD.

*AD D.* *MAII A. R. S. cL I cc XXIX.*

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

**GODOFREDVS HOLEISENIVS**  
AVGVSTANVS.

*HELMAESTADII*

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

